M.D.LXVII.

BREVISSIMA

Institutio

SEV RATIO

GRAMMATICES cognoscendæ, ad omnium puerorum vtilitatem præscripta, quam solam Regia Maiestas in omnibus Scholis profitendam præcipit.

1567.

3255

ALPHABETVM GRAECVM.

Literæ apud Græcos sunt quatuor & uiginti.

Nomen		Figura.	Pronuntiatio.
Αλφα	Alpha	Α α	a
Βῆτα	Beta	Β β ϐ	b
Γάμμα	Gamma	Γ γ ɾ	g
Δέλτα	Delta	Δ δ ∂	d
Ε ψιλόν	Epsilon	Ε ε	e tenue
Ζῆτα	Zeta	Ζ ζ	z
Ητα	Eta	Η η	e longum vel den-
Θῆτα	Theta	Θ θ ϑ	th (sum.
Ιῶτα	Iota	Ι ι	i
Κάππα	Cappa	Κ κ	c
Λάμβδα	Lamda	Λ λ	l
Μῦ	My	Μ μ	m
Νῦ	Ny	Ν ν	n
Ξῖ	Xi	Ξ ξ	x
Ο μικρόν	Omicron	Ο ο	o parvum
Πῖ	Pi	Π π ϖ	p
Ρῶ	Rho	Ρ ρ ῥ	r
Σῖγμα	Sigma	Σ σ ς	s
Ταῦ	Tau	Τ τ	t
Υ ψιλόν	Ypsilon	Υ υ	y
Φῖ	Phi	Φ φ	ph
Χῖ	Chi	Χ χ	ch
Ψῖ	Psi	Ψ ψ	pf
Ω μέγα	Omega	Ω ω	o magnum.

Finis Alphabeti.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

DE GRAMMATICA ET EIVS PARTIBVS.

GRAMMATICA EST RECTE scribendi atque loquendi ars.

Grammaticę quatuor sunt partes
Orthographia, } { Syntaxis,
Etymologia, } { Prosodia.

Orthographia.

ORTHOGRAPHIA, est recte scribendi ratio, qua docemur, quibus quæque dictio sit formanda literis: vt lectio, non lexio. ab ὀρθὸς rectus, & γραφὴ, scriptura.

DE LITERIS.

Ex viginti duabus literis, quinque sunt vocales: a, e, i, o, u. nam y græca est. *Vocales.*

Ex quibus variè dispositis, coalescunt diphthongi quinque, *Diphthõgi*

æ } { Musæ.
au } vt { Audi.
œ } vt { Cœlum.
ei } { Hei.
eu } { Euge.

Reliquæ literæ Consonantes appellantur, quarum nouem sunt Mutę: b, c, d, f, g, k, p, q, t. *Consonãtes Mutæ.*

Septem autem semiuocales: L, m, n, r, s, x, z. *Semiuocales.*

Ex quibus quatuor vocantur etiam liquidę: L, m, n, r. *Liquidæ.*

S, verò suę cuiusdam potestatis litera est, quæ interdum etiam liquescit. X & z, duplices sunt consonantes. Atque etiam I, inter duas vocales. *S. X & Z.*

Adduntur etiam consonantibus I & V, quando sibi vel alijs vocalibus in eadem syllaba præponuntur: vt Iuno, Iouis, voluntas, vultus. *I & V cõsonantes aliquando.*

K, y, & z, Latinis dictionibus nunquam admiscentur. *K Y & Z.*

H proprie quidem litera non est, sed aspirationis nota. Apud Poëtas autem interdum consonantis vim obtinet. *H, aspiratio.*

Præponitur autem vocalibus omnibus: vt Hamus, hebenus, hiatus, homo, humus, hymnus. Consonantibus verò nullis.

Recte itaque enunciamus

Hiacchus, Hiulcus, } trissyllaba { Hieronymus, Hieremias, } Pentasyllaba.

At in latinis dictionibus interdum H postponitur C: vt Charus, charitas. Pulcher, pulchritudo.

Litere maiusculæ. Bifariam pinguntur literæ, Maiusculis scilicet characteribus, & Minusculis. Maiusculis inchoantur sententiæ: vt Deum time. Regem honora. & propria nomina: vt *Henricus, Anglia.*

Diligenter obseruari oportebit, quæ dictiones diphthongis scribantur: nam hæ quidem vel scribi omnino, vel signari debent: vt { Musæ, Præsunt, } vel { Muſe, Preſunt.

Literæ maiusculæ quum solæ aut paucæ scribuntur, aliquãdo significant Prænomen, aliquando numerum:

vt { A. Aulus. C. Caius. D. Decius. G. Gaius. L. Lucius. M. Marcus P. Publius P.R. Popul⁹ Romanus. } { P.C. Patres conscripti. Q. Quintus, Questor, Quirites. R.P. Respublica. Sp. Spurius. Sex. Sextus. S.P.Q.R. Senat⁹, Populusq; Romanus. T. Titus. T.C. Tua clementia. & eius generis infinita.

I.	In numeris verò significat	Vnum.	1.
V.		Quinque.	5.
IX.		Nouem.	9.
X.		Decem.	10.
XL.		Quadraginta.	40.
L.		Quinquaginta.	50.
XC.		Nonaginta.	90.
C.		Centum.	100.
D.		Quingenta.	500.
M.		Mille.	1000.

DE SYLLABARVM DISTINCTIONIBVS.

REctè scripturo, discendum est in primis, syllabas inter scribendum aptè distinguere atq; connectere. In simplicibus vocibus, bd, vocali sequenti, adhærent: vt A-bdomen, A-bdera. Quam quidem rationem sequuntur & istæ:

ct, pſ, ſc, tn vt, Do-ctus, San-ctus, Scri-pſi, Sum-pſi, Pi-ſcis, Di-ſco, E-tua.

gm, gn, ſt, x vt, A-gmen, I-gnis, Ve-ſter, Magi-ſter, An-xius, Di-xi, & ſimilia.

Inter, m & n, non interseritur, p. Malè igitur pingeretur Sompnus, pro somnus. Columpna, pro columna.

Post, x, non scribitur, s: vt Excribo, exoluo: non exscribo, exsoluo. In compositis cum præpositione, auribus & euphoniæ seruiendum est: ut Occurro, Officio, Aufero, potius quàm Obcurro, Obficio, Abfero.

Et contrà Abſtineo, Obtineo, Obrepo, non autem Auſtineo, Ottineo, Orrepo.

Atq; huius rei gratia, etiam consonantes in compositione aliquando interseruntur: ut Redamo, redeo, ambigo, ambio.

ORTHOEPIA.

ORthographiæ affinis est Orthoëpia, hoc est emendatè rectèq; loquendi ratio: ab ὀρθὸς rect⁹, & ἔπος verbum.

Hic in primis curandum est, vt præceptores tenera ac balbutientia puerorum ora sic effingant & figurent, ne vel continua linguæ volubilitate ita sermonem præcipitent, ut nusquam, nisi ubi spiritus deficit, orationem claudant: uel contrà, ad singulas quasque uoces

longa interspiratione consilescant, ructu, risu, singultu, screatu vel tussi, sermonis tenorem ineptè dirimentes.

Cæterum ante omnia deterrendi sunt pueri ab ijs vitijs quę nostro vulgo penè propria esse videntur: cuiusmodi sunt Iotacismus, Lamdacismus, Ischnotes, Traulismus, plateasmus, & similia.

Iotacismus Iotacismus dicitur, quando I litera pleniore sono & supra iustum decorem extenditur, quo uitio ex nostratibus maximè laborant Angli septentrionales.

Lamdacismus. Lamdacismus, est vbi quis L, nimis operosè sonat: vt Ellucet, pro elucet: sauluus, pro saluus.

Nostrati vulgo diuersum vitium impingitur, nempe quod hanc literam pinguius iusto pronuntiant, dum

pro { Multus, Mollis, Falsus, } auditur { Moultus. Moolis. Faulsus.

Ischnotes. Ischnotes, est quædam loquendi exilitas, quoties syllabas aliquas exilius & gracilius enunciamus quàm par est: ut cum

pro { Nunc, Tunc, Aliquis, Alius, } proferimus { Nync, Tync, Eliquis, Elius.

Traulismus. Traulismus, est hęsitantia quędam aut titubantia oris, quãdo eadem syllaba sæpius repetitur: vt Cacacanit, pro Canit. Tututullius, pro Tullius.

Huic vitio vt fœdissimo, ita & periculosissimo, sic succurrendum putat Fabius: si exigatur a pueris, vt nomina & versus affectatę difficultatis, ex plurimis & asperrimis inter se coëuntibus syllabis concatenatis, ac uelut confragosis, quàm citissime voluant: vt,

Arx, tridens, rostris, Spinx, præster, torrida, seps, strix.
-postquam discordia tetra
Belli feratos postes, portâsque refregit.

Plateasmus Plateasmus, est quando crassius & voce plus quàm virili loqui nitimur: vt cum

pro-

pro { Montes, Fontes, Pontes, } efferimus { Mountes, Fountes, Pountes. } Vt etiam

pro { Ergo, Sperma, Perago, } efferimus { Argo, Sparma, Parago.

Sunt & alibi apud noſtrates, qui pro, u, conſonante, ſonant F: & contra, V pro F: vt

Folo, Fis, Folui, Felle, } pro { Volo, Vis, Volui, Velle. } Et rurſum { Vero, Vers, Verre, } pro { Fero, Fers, Ferre.

S, uerò mediam inter duas vocales corruptè ſonant no nnulli:

pro { Læſus, Viſus, Riſus, } pronuntiantes { Lęzus, Vizus, Rizus.

H, in initio dictonis leniùs, in medio aſperiùs enunciari vo-

lunt, malè ergo pro { Homo, Hamus, Humus, Chriſtus, Chriſma, Chremes, Thus, Diphthōgus, Sphæra, } efferimus, { Omo, Amus, Vmus, Criſtus, Criſma, Cremes, Tus, Diptongus, Spæra.

Fœdè quoq; erratur à noſtris, vbi, t, & d, tanquam aſpiratas pronuntiant: vt { Amath, Caputh, Aputh, } pro { Amat. Caput. Apud.

At innumera penè ſunt huius generis uitia, quæ bonarum literarum candidatis, & præceptorum diligentiæ emendanda relinquimus.

DE SENTENTIARVM PVNCTIS.

NEque exigua Orthographiæ pars in ſcriptura rectè diſtinguenda conſiſtere videtur: proinde de clauſularum

distinctionibus paucula annotasse non fuerit superuacaneum.

Puncta qua

Puncta ergo siue notæ, quibus in scribendo vtuntur eruditi, Latinis dicuntur

{ Subdistinctio, / Media distinctio, / Plena ac perfecta distinctio, } Græcis { Comma. / Colon. / Periodus.

Comma.

Subdistinctio seu comma est silentij nota, seu potius respirãdi locus, vtpote quã pronuntiationis terminus, sensu manente ita suspenditur, ut quod sequitur, continuo succedere debeat. Notatur autem puncto deorsum caudato ad hũc modum ,. Ouidius. *Vtendum est ætate, cito pede præterit ætas:*

Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Hac item nota distinguuntur orationum singulæ partes: vt Iuuenal. *Grammaticus, Rhetor, Geometres, pictor, aliptes,*

Græculus esuriens, in cœlum iusseris ibit.

Colon.

Media distinctio seu colon, est vbi tantum ferè de sententia restat, quantum iam dictum est: & est perfecta periodi pars, notaturq; duobus punctis, sic, :, *Quemadmodum horologij umbram progressam sentimus, progredientem non cernimus: & fruticem aut herbam creuisse apparet, crescere autem nulli uidetur: ita & ingeniorum profectus, quoniam minutis constat auctibus, ex interuallo sentitur.*

Periodus.

Plena distinctio, quę & period⁹ dicitur, ponitur post perfectã sententiam, quæ & puncto plano notatur hoc modo, .,

Dic mihi musa virum, captæ post tempora Troiæ,

Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.

Huc annumerari solent Parenthesis, & Interrogatio.

Parẽthesis

Parenthesis, est sententia duabus semilunulis inclusa, qua remota, sermo tamen manet integer: vt *Princeps (quia bella minantur Hostes) militibus urbes præmunit & armis.*

Interrogatio.

Interrogatio, signatur duobus punctis, ac superiore sursum caudato, sic, ;. vt *Et quæ tanta fuit Romam tibi causa uidendi?*

DE ETYMOLOGIA.

ETymologia uersatur in primis circa inuestigãdas dictio, num origines: vt num cœlebs dicatur, quasi cœlestem uitam agens: num lœpus, quasi leuipes.

Cęterum Etymologia (quatenus nos hoc loco de ea differimus) est ratio cognoscendi casuum discrimina: ut Fortis, fortiter: Lego, legit. omnesq; orationis partes complectitur. Cicero notationem seu veriloquium vocat. Componitur autem ab ἔτυμος verus, & λόγος sermo.

DE PARTIBVS ORATIONIS

Partes orationis sunt octo: { Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, } { Aduerbium, Coniunctio, Prępositio, Interiectio. }

NOMEN.

NOMEN, est pars orationis quę rem significat sine vlla temporis aut personæ differentia.

Nomen dupliciter dicitur, Substantiuum & Adiectiuum.

Substantiuum, est quod nihil addi postulat ad suam significationem exprimendam. *Nomen Substantiuum.*

Est autem Substantiuum duplex, { Appellatiuum, & Proprium.

Appellatiuum, est quod rem multis communem significat: vt Homo, Lapis, Iustitia, Bonitas. *Appellatiuum.*

Proprium, est quod rem uni indiuiduo propriam significat: vt Iesus, Maria, Londinum, Thamesis. *Proprium.*

Proprij nominis tria sunt genera. *Prænomen.*

Prænomen, quod uel differentiæ causa, vel veteri ritu pręponitur: vt Lucius, Publius, Aulus, Marcus. *Nomen.*

Nomen, quod suum est cuique: vt Petrus, Paulus, Cato, Tullius. *Cognomen.*

Cognomen, quod vel à cognatione impositum est: vt Gracchus, Fabius, Scipio, Cicero. Vel ab euentu aliquo: vt Affricanus, Macedonicus, Germanicus. *Nomen adiectiuum.*

Adiectiuum, est quod substantiuo indiget cui in oratione adiungatur: vt Piger, Alacris, Candidus, Clemens.

Adiectiuum est duplex, Commune, & Proprium.

Commune, est quod actionem multis communem significat. *Commune.*

ficat: vt Bonus, malus, soler, satur.

Proprium. Proprium, est quod affectionem vni indiuiduo peculiarem significat: vt Gradiuus Marti, Quirinus Romulo.

DE ACCIDENTIBVS NOMINI.

Nomini accidunt septem:

Species, Figura, Numerus, Casus, Genus, Declinatio, Comparatio.

DE SPECIE.

Species nominum est duplex: Primitiua, & Deriuatiua.

Primitiua. Primitiua, est quæ aliunde non trahitur.

Deriuatiua Deriuatiua, est quæ aliunde formatur.

Primitiuæ subiiciuntur hęc quæ sequuntur, & huiusmodi.

Collectiuũ. Collectiuum scilicet, quod singulari numero multitudinem significat: vt Concio, Cœtus, Plebs, Turba.

Factitium. Factitium, quod à sono fingitur: ut *sibilus, tintinnabulum, stridor, clangor.*

Interrogatiuum. Interrogatiuum: vt Quis, vter, qualis, quantus, quot, nunquis. Quæ aliquando migrant in indefinita, aliquando in Relatiua.

Redditiuũ. Redditiuum, quod Interrogatiuo respondet: vt Talis, tantus, tot.

Numerale. Numerale, cuius species hæ numerantur.

Cardinale. Cardinale, à quo seu à fonte alij numeri dimanant: ut Vnus, duo, tres, quatuor.

Ordinale. Ordinale: ut Primus, secundus, tertius, quartus.

Distribut. Distributiuum: ut Singuli, bini, terni, quaterni.

Partitiuum Partitiuum, quod significat uel multa singulatim: ut Quisque, unusquisque, uterque, neuter.

Vel unum è multis: ut Alter, aliquis, cætera, reliquus.

Vniuersale. Vniuersale: ut Omnis, cunctus, nullus, nemo.

Particul. Particulare: ut Aliquis, quisquam, ullus, quidam.

Deriuatiua Derjuatiua autem has species subiectas habent, nimirum Verbale: ut Lectio, litura, auditus, aratrum.

Patrium. Patrium: ut Eboracensis, Londinensis, Oxoniensis, Aetonensis.

Gentile. Gentile: vt *Græcus, Latinus, Hebræus, Anglus.*

Patronymicum. Patronymicum, quod vel à patre, uel ab alia quapiam suæ familiæ

familiæ persona deriuatur: vt

Aeácides, filius vel nepos Aeáci. } { Latôides, filius Latonę.
Nerine, filia vel neptis Nerei. } { Menelais, vxor Menelai

Diminutiuum: vt *Regulus, popellus, maiusculus, minusculus.* Diminut.
Possessiuum: vt, *Herilis, seruilis, regius, paternus.* Possess.
Materiale: vt *Faginus, lapideus, Gemmeus, Aureus.* Materiale.
Locale: vt *Hortensis, agrestis, Marinus, montanus.* Locale.
Aduerbiale: vt *Hodiernus, hesternus, crastinus, clandestinus.* Aduerbiale
Participiale: ut *Amandus, docendus, uidendus, scribendus.* Particip.

Et quæ in lis exeunt, à verbis deducta: vt *Fictilis, coctilis, Flexilis, pensilis.*

DE FIGVRA.

Figura aut est simplex, vt *Iustus*: aut composita, vt *Iniustus*. Sunt qui huc adunt & decompositam: vt *Irreparabilis.*

DE NVMERO.

Numeri sunt duo, Singularis de vno, vt *Pater*: Pluralis de pluribus, vt *Patres.*

DE CASV.

Casus nominum sunt sex.

Nominatiuus, qui & rectus dicitur, est prima vox qua rem aliquam nominamus. Nominatiuus.

Genitiuus, qui significat cuius sit res quæpiam. Atque hic Patrius, Gignendi, aut Interrogandi casus dici solet. Genitiuus.

Datiuus siue dandi casus dicitur, quo quid cuipiam attribuimus. Sub hac voce Octauum etiam casum comprehenderunt: vt *It clamor cœlo*, id est, *in cœlum.* Datiuus. Octauus casus.

Accusatiuus, qui & incusatiuus vel Causatiuus dici potest, qui verbum sequitur, utpote, in quem actio verbi immediatè transit: vt *Amo patrem.* Accusatiuus.

Vocatiuus, quem & Salutatorium vocant, uocandis compellandisue personis accommodatur. Vocatiuus.

Ablatiuus, quo quippiam ab aliquo auferri significamus. Hic Sextus atque Latinus casus appellatur, nempe, quod latinorum sit proprius. Ablatiuus. Latinus casus.

DE

DE GENERE.

Genera nominum.

Genus, est sxus discretio. Et sunt genera numero septem: Masculinum, cuius nota est, hic: Fœmininum, hæc: Neutrum, hoc: Commune, hic & hæc: Commune trium, hic, hęc, & hoc: Dubiũ, hic vel hæc: Epicœnum seu promiscuũ, quum sub vna generis nota, vtrumq; sexũ cõplectimur: vt *Hic anser, Hæc aquila.* Quanquam hoc quidem Genus ad præsens negotium non ita propriè spectare videtur, cum hoc quidem loco non de natura rerum agatur, sed de qualitate vocum.

Communis & Dubij differentia

Porrò inter commune genus & dubium, hæc est differentia: quod vbi semel communis generis nomini adiectiuum copulaueris, non iam integrum fuerit de eadem re loquenti, mutare genus adiectiui: vt si dixeris, Durus parens, aut Canis fœta, quàm diu de eisdem ipsis indiuiduis loquêris, non licebit mutato genere dicere, Parentem iniquam, ant canem fœtum. At verò dubij generis substãtiuo posito, etiam si adiectiuũ masculinum addideris, nihilo tamen secius de eadem re sermonem continuanti, licuerit pro tuo arbitratu mutare genus adiectiui vt si dixeris, Durum corticem. poteris etiam de eodem loqui pergens dicerere, eadem corticem esse & amaram.

Vt autem genera nominum adamussim calleas, hi sequentes canones, tibi summa diligẽtia imbibendi sunt, quos & Guilielmo Lilio Anglo acceptos referre debes.

REGVLAE GENERALES PROPRIORVM.

Mas sunt Diuorum, Virorum, Fluuiorum Mensium,

PRopria quæ maribus tribuuntur, mascula dicas, Vt sunt diuorum: Mars, Bacchus, Apollo. virorum: Vt Cato, Vergilius. fluuiorum, ut Tybris, Orontes. Mensium, vt October. Ventorum, vt Lybs, notus, auster

DE FOEMININIS.

Ventorum. Fœm. sunt Dearum, Vrbium, Regionum Insularum

Propria fœmineum referentia nomina sexum, Fœmineo generi tribuuntur: siue dearum Sunt, vt Iuno, Venus. Mulierum, seu Anna, Philotis. Vrbium, vt Elis, opus. Regionum, vt Græcia, ersis. Insulæ item nomen, ceu Creta, Britannia, Cyprus.

Excipienda

Excipienda tamen quædam sunt urbium, vt ista Exceptio.
Masçula, Sulmo, agragas. Quędam neutralia vt Argos,
Tybur, pręneste, & genus Anxur quod dat vtrunque.

REGVLAE GENERALES APPELLATIVORVM.

APpellatiua arborum, erunt muliebria: vt alnus, Arborum.
Cupressus, cedrus: Mas pinus, mas oleaster.
Et sunt neutra siler, suber, rhus, robur, acerq;.

EPICOENA.

SVnt etiam volucrum, ceu passer, hirundo: Ferarum, Volucrum.
Vt Tygris, uulpes: & piscium, vt ostrea, cetus, Ferarum.
Dicta epicœna quibus vox ipsa genus feret aptum. Piscium.
Attamen ex cunctis, quę diximus ante, notandum, Exceptio generalis.
Omne quod exit in um, seu Gręcum siue Latinum,
Esse genus neutrum: Sic inuariabile nomen.

Sed nunc de reliquis, quę appellatiua vocantur, Vsus trium regularum specialium.
Aut quę sunt tanquam Appellatiua, ordine dicam.
Nam genus his semper dignoscitur ex genitiuo,
Infra vt monstrabit, specialis regula triplex.

PRIMA REGVLA SPECIALIS.

NOmen non crescens genitiuo, ceu caro carnis,
Capra capræ, nubes nubis, genus est muliebre.

Quoniam Lilius noster, genus nominum Appellatiuorum ex genitiuo dignoscendum docet, admonendi hoc loco sunt pueri, hanc primam regulam esse omnium nominum Appellatiuorum non crescentium in genitiuo: cuius generis sunt omnia primæ & quartæ inflexionis, vt & secundæ etiam, præter paucula quędam, quæ infra in tertia regula excepta reperies. Regula specialis.

Pertinent etiam ad hanc classem plęraque tertię declinationis, cuiusmodi sunt Labes labis, Pestis pestus, Vis genitiuo uis, Mater matris, Caro carnis.

Mas-

MASCVLINA *excepta ex non crescentibus.*

In A. MAscula nomina in A, dicuntur multa virorum:
Vt scriba, assecla, scurra & rabula, lixa, lanista.
Mascula Græcorum quot declinatio prima
Fundit in As & in Es, & ab illis quot per A fiunt:
Vt satrapas satrapa, athletes athleta. Leguntur
Mascula item verres, natalis, aqualis. ab asse
Nata, vt centussis, coniunge lienis & orbis,
Callis, caulis, follis, collis, mensis & ensis.
Fustis, funis, panis, penis, crinis & ignis.
Calsis, falsis, torris, sentis, piscis & vnguis.
Et vermis, vectis, postis, societur & axis.
In er, Os, & Vs. Mascula in Er, ceu venter: in Os vel in us, ut logos, annus

FOEMININA.

FOeminei generis sunt mater, humus, domus, aluus.
Et colus: & quartæ pro fructu Ficus, acusq;
Porticus atq; tribus, socrus, nurus, & manus: idus.
Huc anus addenda est, huc mystica uannus Iacchi.
His iungas os in us vertentia græca, papyrus,
Antitodus, costus, dipthongus, byssus, abyssus,
Crystallus, synodus, saphirus, eremus, & arctus,
Cum multis aliis, quę nunc perscribere longum est.

NEVTRA *non crescentia.*

In E. NEutrum nomen in E, si gignit Is, ut mare rete:
Et quot in on uel in um fiunt, ut barbiton, ouum.
Est neutrum hyppomanes genus, & neutrum cacoëthes:
Et virus, pelagus. neutrum modo, mas modo vulgus:

DVBIA *non crescentia.*

INcerti generis sunt talpa & dama, canalis,
Halcionis, finis, clunis, restis, penus, amnis:
Pampinus & corbis, linter, torquis, specus, anguis:
Pro fructu ficus fici dans, atque phaselus,

Lecythus

Lecythus, acatomus, groſſus, pharus & paradiſus.

COMMVNIA.

COmpoſitum à verbo dans A, commune duorum eſt.
Graiugena à gigno, agricola à colo: id aduena mon-
A venio. Adde ſenex, auriga & verna, ſodalis, (ſtrat
Vates, extorris, patruelis, perq; duellis,
Affinis, iuuenis, teſtis, ciuis, canis, hoſtis.

SECVNDA *regula ſpecialis.*

NOmen creſcentis penultima, ſi genitiui
Syllaba acuta ſonat, velut hęc pietas pietâtis,
Virtus virtûtis monſtrant, genus eſt muliebre. *Secunda regula.*

Huc ſpectant quæ acuunt penultimam genitiui creſcentis: qualia ſunt omnia quintæ inflexionis, præter fides.

Omnia item monoſyllaba, præter Vis, reliqua omnia ſunt tertiæ declinationis, vt ſunt omnia deſinentia

in { C In An Ans Ens Vns } vt { Halec, halecis. Delphin, Titan, } nis. { Infans, Quadrans, } antis. { Continens, Triens, } entis. Decuns, decuncis.

Græcis per ę ſcribuntur: vt Crater, Character, Stater, Soter. êris. In Er longum, quæ

Latina in Er, ad tertiam regulam pertinent: quare mulier haud rectè in hac claſſe collocatur.

{ Inx Anx Vnx } vt { Syrinx, ingis. Phalãx, angis. Deunx Septũx } uncis.

{ Ons Ors } vt { Effrõs Bifrõs } ontis. { cohors cõſors } ortis.

Præterea in o, Latina, quę ônis & ênis habent in genitiuo: vt { Lectio, Ligo, Spado, } ônis. Anio ênis.

Præter paucula gẽtilia, quę ad tertiam regulam pertinent: vt

Macedo

Macedo, Brito, Saxo, Vangio, Lingo. ônis.

Al. In Al neutra: vt Vectigal, Animal. âlis. Cętera in al, sunt tertiæ regulę.

En. In En quæ ênis habent in genitiuo: vt Lien, Siren, ênis. Cætera sunt tertię regulæ.

ON. In ωv græca, quæ retinent ω in genitiuo; vt Damon, Ladon, Simon, Trion, ônis.

Quædam variāt: vt { Orion, Edon, egeon, } ônis & ōnis. Cætera sunt tertiæ regulę.

Ar. In Ar Latina: vt { Laquear, Exemplar } âris. prętер { Calcar, lubar, nectar, arar, hepar, hepatis } ăris

Or. In Or Latina: vt Amor, timor: vxor, soror, ôris.

Præter sequentia, quæ ad tertiam regulam spectant; vt Arbor, marmor, ęquor, ador, robor, &c. oris. Et græca quoque nonnulla: vt Rhetor, Hector, Nestor, Stentor, &c. oris.

As. In As latina: vt Maiestas, lenitas, humilitas, humanitas, &c. âtis. Excipe Anas anătis. & gręca quędam fœminina: vt Lampas, monas, trias, decas, adis.

Es. In Es latina aliquot: vt { Quies, Magnes, Locuples, } êtis. { Merces, Hęres, Cohęres, } êdis.

Accedunt his etiam gręca quędam: vt Lebes, tapes, Dares, Chremes, ētis.

Is. In Is, quę faciunt itis, inis, & idis, in genitiuo.

vt { Samnis, Quiris, } itis. { Salamis, Trachis, } inis. { Ptsophis, Crenis, } idis.

Cętera in Is, sunt tertię regulę.

Os. In Os latina: vt { Custos, ôdis. Nepos, ôtis. } prętер { Compos, Impos, } ŏtis.

Et gręca quę retinent o in penultima genitiui: vt Heros, minos, ôis. Rhinoceros, aegoceros. ōtis.

Vs. In Vs, quę mittunt genitiuum singularem in ūtis, ūdis, ūris, ūnris: vt Salus, palus, tellus, opus.

Præter vnam vocem, Pecus pecudis.

Huc pertinent & comparatiua neutra in us: vt Sanctius, probius.

bius, melius, peius. ôris.

In Ax tam latina quàm Græca: vt Limax, fornax, thorax, pharax, audax, bibax, âcis. Ax.

Excipe Græca quædam Appellatiua & Gentilia: vt Abax, ſtorax, ſtyrax, ſmilax, colax, corax, dropax, pharnax, candax. âcis. Syphax tamen variat ſyphâcis, & ſyphăcis.

In Ex paucula quædam: vt ueruex, écis. vibex, îcis. exlex, êgis. alex, écis. Reliqua in ex, ad tertiam regulam referēda ſūt. Ex.

In Ix Latina & Græca: vt Lodix, radix, cornix, ſpadix, fœlix, phœnix, perdix, coturnix, &c. îcis, Et verbalia omnia in trix: vt Victrix, nutrix, motrix, lotrix, îcis. Cætera pertinent ad tertiam regulam. Ix.

In Ox ſubſtantiua & adiectiua: vt Celox, velox. ôcis. Præter Cappadox, ŏcis. Allobrox, ŏgis. Ox.

In Vx, vt Pollux, pollûcis. Cætera ſunt tertiæ regulæ. Vx.

In Yx, vt Bombyx, bombycis. Bebrix autem variat, bebrycis. Cætera ad tertiam regulam relegari debent. Yx.

In S Græca præcedente P: vt Hydrops, cyclops, conops, cercops, ôpis. Reliqua in ops, ad tertiã regulam referēda ſunt. S.

MASCVLINA excepta ex creſcentibus acutè.

MAſcula dicuntur monoſyllaba nomina quędam:
Sal, ſol, ren, & ſplen, car, ſer, vir, vas vadis, as, mas,
Bes, cres, pres, & pes, glis, gliris habens genitiuo.
Mos, flos, ros & tros, mus, dens, mons, pons, ſimul & fõs
Seps pro ſerpẽte, gryps, thrax, rex, grex gregis & phryx.
Maſcula ſunt etiam polyſyllaba in n, vt Acarnan, Polyſyllaba in N.
Lichen, & delphin. Et in o, ſignantia corpus,
Vt leo, curculio: ſic ſenio, ternio, ſermo. O.
Maſcula in Er, or & os, ceu crater, conditor, heros: IN ER, OR, OS,
Sic torrens, nefrens, oriens, cum pluribus in dens: DENS.
Quale bidens, quando pro inſtrumento reperitur.
Adde gigas, elephas, adamas, garamasq́, tapesq́,
Atque lebes, cures, magnes: vnumq́ meridíes nomen quintę, & quę componuntur abaſſe,
Vt dodrans, ſemis. Iungantur maſcula ſamnis.

Hydrops, nycticorax, thorax, & masculà veruex,
Fœminina. Phœnix, & bombyx pro vermiculo. Attamen ex his
Sunt muliebre genus Siren, mulier, soror, vxor.

NEVTRA *ex crescentibus acute.*

Neutra. Sunt neutralia & hęc monosyllaba nomina, mel, fel,
Lac, far, ver, cor, æs, vas vasis, os ossis & oris.
Al. Rus, thus, ius, crus, pus. Et in al polysyllaba, in arq;:
Ar. Vt capital, laquear. Neutrum halec, & muliebre.

DVBIA.

Stirps pro progenie, Calx pro saxo excoacto, fœm. sunt. Sũt dubia hæc, python, scrobs, serpẽs, bubo, rudẽs, grus,
Perdix, linx, limax, stirps pro trunco, pedis & calx.
Adde dies numero tantùm mas esto secundo.

COMMVNIA.

Sunt commune, parens, autorq;, infans, adolescens,
Dux, illex, hæres, exlex: à fronte creata,
Vt bifrons, custos, bos, fur, sus, atque sacerdos.

TERTIA *& ultima regula specialis.*

NOmen crescentis penultima si genitiui
Sit grauis, vt sanguis, genitiuo sanguinis, est mas.

Hæc contra penultimam genitiui crescentis grauant. Cuius generis sunt paucula illa secundæ declinationis, de quibus supra meminimus: videlicet, Socer, gener, puer. eri. Adulter, adulteri. Presbyter, vox ecclesiastica. Composita à vir viri: vt Leuir, Triumuir, Decemuir, Centumuir. iri.

Composita item à gero & fero: vt Armiger, clauiger, caduçifer, lucifer. eri. Et adiectiua quędam: ut Tener, satur, dexter, prosper. eri. Spectant huc & græca omnia neutri generis in A: vt Poëma, dogma, sophisma, ænigma. atis.

Yr. In Yr item Græca: vt Martyr martyris. Psithir psithiris.

Oia item in ur Latina: vt Augur, murmur, furfur, cicur. uris.

Vt. In Vt etiam omnia: vt Caput capitis. Occiput occipitis.

O. Præterea in o Latina omnia, præter illa, quæ superius excipiuntur: vt Imago, sartago, ordo, cardo. inis.

L. In L: vt Annibal, alis, Mugil, ilis, Consul, præsul. ulis.

In En: vt Pecten, tibicen, carmen, crimen. ĭnis. En.

In On græca, quæ ſumunt O paruum in penultima geniti ui ſingularis: vt Canon, dęmon, architecton, Philemon. ŏnis. On.

In or Latina & gręca: vt Arbor, æquor, pantocrator, aparator, ŏris. Or.

In As: vt Anas, anătis. As.

Et græca: vt Archas, chilias, hebdomas, enneas. ădis. Es.

In Es Latina: vt Fomes, Limes, ĭtis.
Præſes, Deſes, ĭdis.

In Is Latina & græca: vt Sanguis, pollis, ĭnis. Is.

Tyrannis, paropſis. idis.

In Ar Latina & gręca: vt Iubar, compar, nectar, bacchar. aris Ar.

In Er Latina & græca: vt Socer, Gener. eri. Aer, Aether. eris. Er.

In S, præcidente conſonante, tam Latina quàm Gręca: vt S præcedente conſonante.

Princeps,	cipis.	Arabs,	abis.
Hyems,	emis.	Aethiops,	opis.
Inops,	opis.	Chalybs,	ybis.

In os Latina: vt compos. otis. Os.

In us Latina & græca: vt Vs.
Pecus, decus. oris. Vellus, Vulnus. eris.
Tripus, Oedipus. odis.

In Ax Græca: vt Abax, ſtorax, colax, climax. ăcis. Ax.

In Ex Latina vt Iudex, vindex, carnifex, aruſpex, icis. Ex.

In Ix Latina & gręca: vt Varix, formix, calix, icis. Ix.
Maſtix, igis.

In Ox Latina & græca: ut Ox.

Prȩcox,	ôcis.	Allobrox,	ôgis.
Cappadox,		Poliphlox.	

In ux Latina: vt

Coniux,	coniugis.	Vx.
Redux,	reducis.	

Denique in Yx Grȩca: ut Onyx, Sardonyx, ychis. Yx.
Ceryx, Eryx, ycis.

FOEMININA *excepta ex crescentibus grauiter.*

FOemineigeneris sit hyperdissyllabon in do,
Quod dinis: atque in go, quod dat ginis in genitiuo,
Et tibi dulcedo, faciens dulcedinis: idq;
Monstrat compago compaginis: adiice virgo,
Grando, fides, compes, teges, seges, arbor, hyemsq;:
Sic bacchar, syndon, gorgon, icon & amazon.
Græcula in as vel in is finita, vt lampas, laspis,
Cassis, cuspis: in us vox vna, pecus pecudis dans.
His forfex, pellex, carex, simul atq; supellex,
Appendix, histrix, coxendix, addefilixq;.

NEVTRA *ex crescentibus grauiter.*

Est neutrale genus, signans rem non animatam.
Nomen in a, vt problema: en vt omen: ar ut iubar: vr dans.
Vt iecur: vs, vt onus: put vt occiput. Attamen ex his
Masculasunt pecten, furfur: sunt neutra cadauer,
Verber, iter, suber, pro fungo tuber & vber,
Gingiber & lacer, ciser & piper, atque papauer,
Et sicer atque siler. Neutra æquor, marmor, adorq;,
Atq; pecus, quando pecoris facit in genitiuo.

DVBIA *ex crescentibus grauiter.*

Sunt dubii generis, cardo, margo, cinis, obex,
Puluis, adeps, forceps, pumex, rumex, anas, imbrex.
Adde culex, natrix, & onyx cum prole, silexq;.
Quamuis hęc melius vult masculadicier vsus.

COMMVNIA *ex crescentibus grauiter.*

Communis generis sunt ista: vigil, pugil, exul,
Præsul, homo, nemo, martyr, Ligur, augur, & arcas,
Antistes, miles, pedes, interpres, comes, hospes.
Sic ales, preses, princeps, auceps, eques, obses.
Atque alia àverbisque nomina multa creantur:
Vt coniux, iudex, vindex, opifex & aruspex.

Regula

REGVLA ADIECTIVORVM GENERALIS.

ADiectiua unam duntaxat habentia vocem,
Vt fœlix, audax, retinent genus omne ſub una.
Sub gemina ſi uoce cadant, uelut omnis & omne,
Vox commune duûm prior eſt, uox altera neutrum.
At ſi tres uariant uoces, ſacer ut ſacra, ſacrum,
Vox prima eſt mas, altera fœmina, tertia neutrum.
At ſunt quę flexu prope ſubſtantiua uocares,
Adiectiua tamen natura uſuq; reperta.
Talia ſunt pauper, puber, cum degener, uber,
Et diues, locuples, ſoſpes, comes, atque ſuperſtes,
Cum paucis aliis quæ lectio iuſta docebit.
Hæc, propriũ quendam ſibi flexum aſciſcere gaudent,
Campeſter, uolucer, celeber, celer, atque ſaluber.
Iunge pedeſter, equeſter, & acer: iunge paluſter,
Ac alacer, ſylueſter. At hæc tu ſic uariabis:
Hic celer, hęc celeris, neutro hoc celere. Aut aliter ſic:
Hic atque hęc celeris, rurſum hoc celere eſt tibi neutrum.
Sunt quæ deficiunt genere, adiectiua notanda,
De quibus atque aliis, alibi tibi mentio fiet

DE DECLINATIONE.

DEclinatio, eſt variatio dictionis per caſus. Sunt autem declinationes numero quinque.

PRima declinatio complectitur quatuor terminationes:

A, As, } vt { Menſa, Aeneas, } Es, E, } vt { Anchiſes, Penelope.

Primano minum declinatio.

Porrò græca ſunt oia quę in { As, Es, E, } finiũtur: vt { Thomas, Anchiſes, Phœbe.

Sunt qui huc addunt Hebræa quædam in am: vt Adam Adæ, Abraham Abrahæ. Quæ tamen melius ad Latinorum formam redacta, ad hunc modum inflexeris: Adamus Adami. Abrahamus Abrahami.

As, accuſatiuum in am & in an facit: vt Aeneas, Aeneam,

vel Aenean: Vocatiuum in a vt Aeneâs, Aenea.

Es. Es, in Accusatiuo En sumit: vt Anchises, Anchisen. In vocatiuo & ablatiuo, e, vel a: vt Anchise vel Anchisa.

E. E, genitiuum in es mittit, datiuum in E, accusatiuum in en, vocatiuum & ablatiuum in E: vt

Nom.	Penelope,	Accusat.	Penelopen,
Gen.	Penelopes,	Vocat.	Penelope,
Dat.	Penelope,	Ablat.	Penelope.

As in genitiuo. As, in genitiuo nominum Latinorum, interdum reperitur ad Græcorum imitationem: vt Paterfamilias. Filius familias. Id quod veteres obseruabant in multis alijs. Ennius. *Dux ipse uias.* Liuius Andronicus. *Mercurius eumq; eo filius Latonâs.* pro *Latonæ*. Sic Neuius. *Filij terras*, pro *terræ*. Vergilius. *Nec auras nec sonitus memor.* Aulai & pictai, atque id genus alia, priscis relinquito.

Genitiuus pluralis interdum syncopen admittit: vt Aeneadûm, Graiugenûm. pro Aeneadarum, Graiugenarum.

Hæc datiuos & ablatiuos plurales mittunt in abus: Dea, mula, equa, liberta, ambæ, duæ. abus.

Hæc verò tam in is quàm in abus: Filia, filijs vel filiabus. Nata, natis vel natabus.

SECVNDA DECLINATIO.

Secunda declinatio. SEcundę declinationis terminationes sunt apud Latinos quidem

Er,	vt	Aper,
Ir,		Vir,
Vr,		Satur,
Vs,		Dominus,
Vm,		Templum.

Et græcorum

Os,	vt	Delos,
On,		Ilion,
Eus,		Orpheus.

Os. Attica in Os, genitiuum in O mittunt, accusatiuum in On: vt Androgeos, androgeo: Accusatiuo Androgeon.

Vs. Quædam græca contracta in us, vocatiuum formant in u: ut Panthus, Oedipus, ô Panthu, Oedipu.

Noeabis & Latina quædam, tam in Vs quàm in E, mittere

Vocatiuum

vocatiuum singularem: vt Agnus, vulgus, lucus, fluuius, chorus, populus pro natione. Quin Ouidius ausus est dicere: *Latmius Endymion non est tibi luna rubori.* Sed Atticam Græcorum dialecton imitat⁹, quę vocatiuū recto similem semper format.

Eus, genitiuum format in ei vel eos, datiuum in ei, accusatiuum in ea, vocatiuum in eu: vt *Eus.*

Nominatiuo Orpheus, Gen. Orphei vel Orpheos. Datiuo Orphei. } { Acc. Orphea. Ouid. Orpheō. Vocatiuo Orpheu. Ablatiuo Orpheo.

Notandę sunt deniq; syncopationes illæ, { Deûm, Virûm, } pro { Deorum. Virorum.

Item anomala illa Ambo & duo, quas duas voces poëtæ etiam in accusatino masculino usurpant. *Ambo & duo in accusatiuo masculino.*

Verg. *Si duo prætereà tales Idæa tulisset Terra uiros.*
Horatius. *Ne uos titillet gloria, Iureiurando obstringam ambo.*
Cicero in Philip. secunda. *Præter duo uos, nemo sic loquitur.*

TERTIA DECLINATIO.

TErtia declinatio admodum varia est, cuius difficiliores duntaxat casus hoc loco attingemus.

Quorundam accusatiui flectuntur tantùm in Im: vt Vim, rauim, tussim, sitim, maguderim, amussim, charybdim.

Sic & quædam fluuiorum accusatiui: vt Tybrim, ararim,

Quædam accusatiuos flectunt in Im & in Em communiter: vt Buris, peluis, clauis, securis, puppis, torquis, turris, restis, febris, nauis, bipennis, aqualis, im vel em. *Accusatiui in im vel em.*

Ablatiuus regulariter in E definit: vt Pect⁹, salus. Ablatiuo Pectore, salute. *Ablatiuus singularis.*

Propria nomina adiectiuis similia, ablatiuos in E mittunt: vt Fœlice, Clemente, Iuuenale, Martiale, &c.

At neutra definentia in Al, ar, & e, ablatiuū magna ex parte mittunt in I: ut { Vectigal, Calcar, Mare, } Ablatiuo { Vectigali, Calcari, Mari. }

Ablatiuus rete, à nominatiuo retis est, non à nominatiuo rete. Par cum compositis, tam E, quàm I, habet; vt Par, compar. Ablatiuo Pare, compare, vel ri. *Retis.*

Hæc tamen E retinent: Far, hepar, iubar, nectar, gausape, præsepe, e.

Vt hęc propria, { Soracte, Præneste, Reate, } Ablatiuo { Soracte, Præneste, Reate.

Festorum nomina. Festorum nomina quæ tantum pluralia sunt, genitiuum interdum in orum mittunt. vt Agonalia, Vinalia. Genitiuo Agonaliorum, Vinaliorum.

Interdum autem in iũm: vt Floralia, Feralia. Genitiuo Floralium, Feralium.

Aliquando verò tam in orum quàm ium:

ut { Parentalia, Saturnalia, } Genitiuo { Parentaliorum, Saturnaliorum, } uel ium.

Datiuos verò & ablatiuos in bus: vt Saturnalibus, Bacchanalibus. Præter quinquatrĩs, quod iuxta secundam declinationem formar prædictos casus.

Mensium nomina. Mensium nomina in Er, & Is, ablatiuum in i, solùm mittũt:

ut { September, Aprilis, } { Ablatiuo { Septembri, Aprili.

Quorum accusatiuus in im tantùm desinit, ĩs ablatiuus exit in I: vt { Sitim, Tussim, } Ablatiuo { Siti. Tussi.

Adiectiua, quæ nominatiuum in is, vel er, & e, neutrum faciunt, ablatiuum mittunt in i, solum:

vt { Fortis, Mollis, Dulcis, } Abltõ. { Forti, Molli, Dulci. } Sic { Acer, Acris, Acre. } abl. Acri.

Licet poetæ interdum metri causa E pro I vsurpent.

Nota. Cætera adiectiua, tam in e, quàm in i, mittunt: ut Capax, duplex. Ablatiuo Capace, duplice, uel ci.

Præter { Pauper, Degener, Vber, } { Sospes, Hospes, } { quæ in e, tantum faciũt ablatiuum.

Comparatiua etiam bifariam faciunt ablatiuum: vt Melior, doctior. Ablatiuo Meliore, doctiore. vel ri.

Similiter & substantiua quædam: vt Ignis, Amnis, Anguis, Supellex, Vnguis, Vectis, Ablatiuo e, uel i.

Rarius

Rariûs autem Ciuis } ablto { Ciue, vel ciui.
Rarius etiam Arpinas, } { Arpinate, vel ti.

Et sic de cæteris id genus gentilibus. Deniq; ad eundum modũ ablatiuos formant, quorum accusatiui per em & im finiũt: vt Puppis, nauis. Ablatiuo Puppe, naue, vel i. Et verbalia item in trix: vt { Victrix, Altrix, } Ablatiuo { Victrice, Altrice, } uel ci.

Neutra, quorum ablatiuus singularis exit in I tantûm, vel in E & I, nominatiuum pluralem mittunt in ïa: vt Molli, duplice vel ci. Nominatiuo plurali, Mollia, duplicia. præter vbera, plura uel pluria. apluſtra vel apluſtria. Et comparatiua: vt Meliora, fortiora, doctiora, priora.

Ex ablatiuis in I tantùm, vel in E & I, fit pluraliter genitiuus in ium: vt Vtili, utilium. puppe, uel puppi, puppium. *Genitiuus Pluralis.*

Præter comparatiua: vt { Maiorum, Meliorum, } Item præter iſta, Supplicum, complicum, ſtrigilum, artificum, vigilum, veterum, memorum, pugilum, inopum. At plus plurium format.

Sũt & quę ſyncopam aliquando admittunt, cuiuſmodi ſunt ſapientûm, pro ſapientium. Serpentûm, pro ſerpentium.

Quando noïatiui ſingulares duab⁹ conſonantib⁹ finiũtur, gti. pl. exeunt in ïum: ut { Glans, Trabs, Merx, Pars, Vrbs, Falx, } Gtõ. Plu. { Glandium. Trabium. Mercium. Partium. Vrbium. Falcium.

Excipe hyemum, principum, participum, municipum, forcipum, inopum, cœlibum, clientum.

Vbi in nominatiuo & genitiuo ſingularibus reperiuntur pares ſyllabę, genitiuus pluralis exit in ïum:

ut { Collis, Menſis, Auris, } is. genitiuo plu. { Collium, Menſium, Aurium. } Adde iſtis litium, ditium, uitium, ſalium, manium, penarium.

Excipe tamẽ Canum, panum, uatum, iuuenum, opum, apum.

As format aſſium. Mas marium. Vas uadis, uadium. Nox noctium. Nix niuium. Os oſſium. Faux faucium. Mus muri-

um, Caro carnium, Cor cordium.

Alituum ab ales, assumit, u.

Boum anomalum est, vt etiam bobus vel bubus.

Accusat. Pluralis. Quorum genitiui plurales desinunt in ium, accusatiuum formant per es & eis diphthongum: vt Partium, omnium. Partes, omnes. vel eis.

Græcorum declinatio. Græco fonte deriuata plæraque, quando iuxta linguæ suæ morem variantur, genitiuum mittunt in os: vt

Titan, Pan, Daphnis, Phyllis. genitiuo Titânos, Panos, Daphnidos, Phyllidos. Datiuum verò in, i, breue: vt Titâni, Pani, Daphnidi, phyllidi.

Accusatiuum in a, nisi sint neutri generis in A non terminantia: vt Pana, Phyllida, Amaryllida, Orphea.

Is tamen & ys, per os purum declinata in genitiuo, accusatiuum faciunt, S, nominatiui mutata in N: vt

Tethys, Tethyos,	Accusatiuo	Tethyn.
Decapolis, lios,		Decapolin.
Genesis, genesios,		Genesin.
Metamorphôsis, sios.		Metamorphôsin.

Sunt quæ duplicem genitiuum faciunt, alterum in os non purum, alterum in os purum. Atque hęc pro genitiuorum ratione duplicem quoque accusatiuum formant, aluerum in N, alterum in a: vt Paris, genitiuo Paridos & Parios: accusatiuo Parida & Parin. Themis, genitiuo Themidos & Themios, accusatiuo Themida & Themin.

Fœminina in ô, genitiuum in ûs, accusatiuum in ô mittunt:

vt Sapphô, sapphus,	hanc	Sapphô.
Manto, mantus,		Manto.
Clio, clius.		Clio.

Vocatiuus. Vocatiuus nominatiuo magna ex parte similis est: in nonnullis tamen à nominatiuo abiicitur, s:

vt	Pallas, Pallantis,	voc. ô.	Pallà.
	Theseus, Theseos,		Theseu.
	Tethys, Tethyos,		Tethy.
	Phyllis, Phyllidos.	voc. ô.	Phylli.
	Alexis, Alexios.		Alexi.
	Achillis, achilleos.		Achille.

Neutra

Neutra singularia in A, græca sunt: ut Problema, poema quæ ueteres iuxta Latinam quoque formam declinabant, adita syllaba Tum: ut Hoc problematum, hoc poematum. Quorum datiui & ablatiui plurales adhuc in frequentiore usu sunt: ut problematis, poematis. *Græca neutra in A.*

QVARTA DECLINATIO.

QVartæ declinationi nihil ferè difficultatis inest, nam duas tantum sortitur terminationes in recto singulari, nempe us & u: ut Manus, genu. Veteres à nominatiuis

Anus, Tumultus, Ornatus, } dixerũt { Anuis, Tumulti, Ornati, } in genitiuo.

Terentius. *Eius anuis causa.* Idem. *Nihil ornati. Nihil tumulti.*

Datiuus ui habet, & interdum etiam u: ut Fructui, concubitui: rariùs fructu, concubitu. *Datiuus sing.*

Vergil. *Quod neque concubitu indulgent.* Ter. *Vestitu nimio indulges.*

Currũm autem pro curruum, synæresis est, ut & in alijs declinationibus fieri solet.

Iesus, in accusatiuo Iesum habet. In reliquis uerò casibus ubique Iesu. *Iesu.*

Hæc datiuum & ablatiuum pluralem in ubus formant: Acus, lacus, artus, arcus, tribus, ficus, specus, quercus, partus, portus, veru, ubus. *Datiuus & Abl. Plur.*

Cætera omnia in ibus: vt Fructibus, fœtibus, manib⁹, motib⁹.

QVINTA DECLINATIO.

QVinta declinatio, genitiuum, datiuum, & ablatiuum pluralem in paucioribus sortita est, quemadmodum infrà in Heteroclitis fusius tradetur.

Olim iuxta hanc declinationem flectebantur quædam nomina tertiæ inflexionis: vt *Plebes, Plebei.*

Genitiu⁹ huius declinationis olim etiam in es, ĩ, & e, exibat. Cicero. *Equites uero daturos illius dies pœnas.* Vergilius. *Genitiuus singularis.*

Munera lætitiamque dij. Salustius. *Vix decima parte die reliqua.*

Cæterum præter ista quæ iam dixim⁹, notabis etiã diligẽter ea nomina, quæ à grammaticis Heteroclita dicuntur. Hæc partim varia

uaria probatorum autorum lectio ne, partim à sequentibus regulis discere licebit.

DE NOMINIBVS HETEROCLITIS.

Heteroclita quæ sunt

QVæ genus aut flexum variant, quæcunque nouato
Rítu deficiunt, superántue, Heteroclita sunto.

VARIANTIA GENVS.

Fœminina.

Hæc genus ac partim flexum variantia cernis:
Pergamus infœlix vrbs Troum, Pergama gignit,
Quod nisi plurali careat, facit ipsa supellex,
Singula fœmineis, neutris pluralia gaudent.

Neutra

Dat prior his numerus neutrum genus, alter vtrunque,
Rastrum cum fræno, filum, simul atque capístrum,
Argos item & cœlum, sunt singula neutra. Sed audi,
Mascula duntaxat cœlos vocitabis & Argos.
Fræna sed & frenos, quo pacto & cætera formant.
Nūdinū, & hinc epulū, quibus addito balneū. Et hęc sūt
Neutra quidem primo, muliebria rite secundo.
Balnea plurali Iuuenalem constat habere.

Masculina

Hæc maribus dantur singlaria, plurima neutris:
Mœnalus, atque sacer mons Dyndimus, Ismarus, atque
Tartara, Taygetus, sic Tęnera, massica, & altus
Gargarus. At numerus genus his dabit alter vtrunq;,
Sibilus, atque iocus, locus, & Campanus, Auernus.

DEFECTIVA.

Quę sequitur manca est numero, casúue propago.

APTOTA.

Aptota sūt quæ à recto non variant casum.

Quæ nullum variant casum, vt fas, nil, nihil, instar:
Multa & in u, simul i, ut sunt hęc, cornuq;, genuq;.
Sic gummi, frugi, sic tempe, tot, quot, & omnes
A tribus ad centum numeros, Aptôta vocabis.

Monoptota

MONOPTOTA.

Monoptotá ſunt quæ unico in obliquo reperiũtur.

Eſtque Monoptoton nomen cui vox cadit vna,
Ceu noctu, natu, iuſſu, innuſſu, ſimul aſtu,
Promptu, permiſſu: plurali legimus aſtus,
Legimus inficias, ſed vox ea ſola reperta eſt.

DIPTOTA.

Diptôtá, quæ duobus.

Sunt diptota, quibus duplex flexura remanſit:
Vt fors forte dabit ſexto, ſpontis quoque ſponte.
Sic plus pluris habet, repetundarum repetundis,
Iugeris & ſexto dat iugere. Verberis autem
Verbere, ſuppetiæ quarto quoque ſuppetias dant.
Tantundem dat tantidem. Simul impetis hoc dat
Impete. Iunge vicem, ſexto vice, nec lego plura.
Verberis atque vicem, ſic plus cum iugere, cunctos
Quatuor hæc uumero caſus tenuere ſecundo.

TRIPTOTA.

Triptôtá, quæ tribus.

Treis quibus inflectis caſus, Triptota vocantur:
Vt precis atque precem, petit & prece blandus amicam,
Sic opis eſt noſtræ, fer opem legi, atque ope dignus.
At tantum recto frugis caret & ditionis,
Integra vox vis eſt, niſi deſit forte datiuus,
Omnibus his mutulus numerus prior, integer alter.

Defectá uocatiuo.

Quę referunt, vt qui: quæ percontantur, vt ecquis:
Et quę diſtribuunt, vt nullus, neuter & omnis:
Infinita ſolent his iungi, vt quilibet, alter:
Quinto hæc ſæpe carent caſu, & pronomina, præter
Quatuor hæc infra, Noſter, noſtras, meus, & tu.

Defectá Plurali.

Propria cuncta notes, quibus eſt natura coercens,
Pluríma ne fuerint, ut Mars, Cato, Gallia, Roma,
Ida, Tagus, Lelaps, Pernaſſus, Bucephalusq;
His frumenta dabis, penſa, herbas, vda, metalla,

In quibus autorum quę sint placita ipse requiras:
Est vbi pluralem retinent hęc, est vbi spernunt.

Neu. sing. carentia quibusdam casibus pluralibus.

Appellat. Masculina defecta plurali.

Ordea, farra, forum, mel, mulsum, defruta, thusq́;
Tres tantum similes voces, pluralia seruant.
Hesperus & vesper, pontus, limusq́;, fimusq́;.
Sic penus & sanguis. Sic ęther, nemo, sed ista
Mascula sunt, numerum vix excedentia primum.

Appellat. fœm. carentia plurali.

Singula fœminei generis pluralia rarò:
Pubes atque salus, sic talio cum indole, tussis,
Pix humus atque lues, sitis & fuga, iunge quietem.
Sic cholera, atque fames, bilisq́;, senecta, iuuentus:
Sed tamen hęc soboles, labes, vt & omnia quintę,
Treis similes casus plurali sępe tenebunt.
Excipe res, species, facies, aciesq́; diesq́;,
Quas voces numero totas licet esse secundo.
Istis multa solent muliebria nectere, vt hęc sunt:
Stultitia, inuidia, & sapientia, desidia, atque
Id genus innumeræ uoces, quas lectio prębet,
Quam tibi prefixam, ceu certum collige filum.
Rarius his numerum, quandoque sed adde secundum.

Neutra carentia plurali.

Nec licet his neutris numerum deferre secundum.
Delicium, senium, lœthum, cœnumq́; salumq́;.
Sic Barathrum, uirus, uitrum, uiscumq́;, penumq́;.
Iustitium, nihilum, uer, lac, gluten, simul halec.
Adde gelu, solium, iubar. hic quoque talia ponas,
Quæ tibi si obserues, occurrent multa legenti.

Masculina Plurali.

Mascula sunt tantum numero contenta secundo,
Manes, maiores, cancelli, liberi, & antes.
Menses profluuium, lemures, fasti, atque minores,
Cum genus assignant natales: adde penates,
Et loca plurali, quales Gabiiq́;, Locriq́;,

Et

Et quęcunque legas paſsim ſimilis rationis.
Hęc ſunt fœminei generis, numeriq; ſecundi: *Fœminina*
Exuuiæ, phaleræ, grateſq;, manubiæ, & idus, *carentia*
Antię, & inducię, ſimul inſidięq;, minæq;. *ſingulari.*
Excubiæ, nonę, nugæ, tricęq;, calendę,
Quiſquiliæ, thermę, cunæ, dirę, exequięq;,
Inferię & feriæ, ſic primitiæq;, plagæq;
Retia ſignantes, vt valuę, diuitiæq;:
Nuptiæ item & lactes: Addantur Thebę & Athenæ.
Quod genus inuenias & nomina plura locorum.
Rariùs hæc primo Plurali neutra leguntur, *Neutra ca-*
Mœnia cum teſquis, præcordia, luſtra ferarum. *rentia ſing.*
Arma, mapalia, ſic bellaria, munia, caſtra.
Funus iuſta petit, petit & ſponſalia virgo.
Roſtra diſertus amat, pueriq; crepundia geſtant,
Infantesq; colunt cunabula, conſulit exta
Augur, & abſoluens ſuperis effata recantat:
Feſta Deûm poterunt, ceu Bacchanalia iungi.
Quod ſi plura leges, licet hac quoque claſſe reponas.

REDVNDANTIA.

Hæc quaſi luxuriant varias imitantia formas,
Nam genus & vocem variant, tonitrus tonitruq;.
Sic clypeus clypeum, baculus baculum, atque bacillum,
Senſus & hoc ſenſum, tignus tignumq;, tapetum
Atque tapete tapes, punctus punctumq;: Sinapi,
Quod genus immutans, fertur ſcelerata ſinapis.
Sinus & hoc ſinum vas lactis, mendaq; mendum.
Viſcus & hoc viſcum: ſic cornu & flexile cornum.
At Lucanus ait, Cornus tibi cura ſiniſtri.
Euentus ſimul euentum: ſed quid moror iſtis?
Talia doctorum tibi lectio mille miniſtrat.
Sed tibi præterea quędam ſunt gręca notanda,
Quę quarto caſu fœtum peperere Latinum.

Nam

Nam panther panthera creat, craterąq; crater.
Cassida cassis habet, sed & æther æthera fundit.
Hinc cratera venit, venit ęthera, sic caput ipsum
Cassida magna tegit, nec vult panthera domari.

Vocum diuersæ terminationes sub eodem genere.

Vertitur his rectus, sensus manet, & genus vnum:
Gibbus & hic gibber, cucumis cucumer, stipis & stips:
Sic cinis atque ciner, vomis vomer, scobis & scobs.
Puluis item puluer, pubis puber. Quibus addes
Quę pariunt or & os, honor & labor, arbor, odorąq;.
His & apes & apis, plebs plebis. Sunt quoque multa
Accepta à Grecis, geminam referentia formam:
Vt delphin delphinus, & hic elephas elephantus.
Sic congrus conger, meleagrus sic meleager.
Teucrus item Teucer. Dabis huc & cętera cuncta,
Quę tibi par ratio dederint, & lectio casta.

Declinationem uariantia.

Hęc simul & quarti flexus sunt atque secundi:
Laurus enim lauri facit, & laurus genitiuo.
Sic quercus, pinus, pro fructu ac arbore ficus.
His colus atque penus, cornus quando arbor habetur.
Sic lacus atque domus, licet hęc necvbique recurrant.
His quoque plura leges, quę priscis iure relinquas.

Adiectiua luxuriantia.

Et quę luxuriant sunt adiectiua notanda
Multa, sed in primis quot & hęc tibi nomina fundunt:
Arma, iugum, neruus, somnus, cliuusq;, animusq;.
Et quot limus habet, quot frœnum, & cera, bacyllum.
A quibus us simul is formes, vt inermus, inermis.
Rarior est hilarus, vox est hilaris bene nota.

COMPARATIO NOMINVM.

COmparantur nomina, quorum significatio augeri minuiue potest.

Gradus comparationis sunt tres.

Positiuus gradus.

Positiuus, qui rem sine excessu significat: vt Albus, niger,

Niger, probus, improbus.

Comparatiuus, qui significationem sui positiui per aduerbium Magis, auget: vt Albior, Propior, id est Magis albus, Magis probus. Fit autem regulariter à primo positiui casu in i, addita syllaba or: vt ab amici, pudici, fit Amicior, pudicior. *Superlatiuus.*

Superlatiuus, qui positiuum cum aduerbio Valde vel Maxime significat: vt

Doctissim⁹, Iustissimus, } id est, { Valde doctus, Valde iustus, } vel maximè { doctus. iustus.

Fit autem regulariter à primo positiui casu in I, adiectis S, & simus: vt à { Candidi, Prudenti, } fit { Candidissimus. Prudentissimus.

Quæ verò positiua in, r, desinunt, adiecto rimus, superlatiuum formant: vt Pulcher, pulcherrimus: Niger, nigerimus. *In rimus.*

Excipiuntur Dextimus à dexter, Maturimus siue Matturissimus, ab antiquo matur.

Sex ista in lis, superlatiuum formant in limus: nempe *In Lis.* Facilis, facilimus, Docilis, Docilimus, Agilis, agilimus, Gracilis, gracilimus, humilis, humilimus, Similis, similimus.

Quę deriuantur à dico, loquor, volo, facio, ad hunc modum comparantur. *Deriuata à dico, loquor, &c.*

Maledicus, Maledicentior, Maledicentissim⁹, } à dico. { Magniloquus, Magniloquentior, Magniloquentissim⁹. } à loquor

Plautus tamen à mendaciloquus & confidentiloquus, vsurpat mendaciloquius, & confidentiloquius.

Beneuolus, Beneuolentior, Beneuolentissim⁹, } à volo. { Magnificus, Magnificentior, Magnificentissim⁹, } à facio.

Quoties vocalis præcedit us finale, comparatio fit per aduerbia Magis & maxime; vt Idoneus, Magis idoneus, Maximè idoneus, Arduus, Magis arduus, Maximè arduus. *Comparatio nom. in us purum.*

COMPARATIO INVSITATIOR.

Interim acre iudicium adhibendum est, vt quæ in legendis autoribus rarò occurrunt, rarò itidem vsurpẽtur. Cuiusmodi

sunt quę sequntur.

Assiduior, Strenuior, { Egregiissimus, Mirificissimus, } { Pientissimus, Vel piissimus,

Ipsissimus, Perpetuissimus, Tuissimus, } { Exiguissimus, apud Ouidium. Multissimus, apud Ciceronem.

COMPARATIO ANOMALA.

Comparatio irregularis.

Bonus, melior, Optimus. Malus, peior, pessimus. Magnus, Maior, Maximus, } { Paruus, Minor, Minimus.

Multus plurimus, Multa plurima, Multum plus plurimum.

Vetus, veterior, veterrimus.

Deterior, deterrimus, ab antiquo Deter.

Nequam, nequior, nequissimus.

Citra, citerior, citimus. Intra, interior, intimus.

Infra, inferior, infimus. Extra, exterior, extimus, vel extremus

Supra, superior, supremus, vel summus.

Post, posterior, postremus. Vltra, vlterior, ultimus.

Prope, propior, proximus. à quo proximior apud Ouidium.

Pridem, prior, primus. Diu, diutior, diutissimus.

Sæpe, sæpius, sæpissimè.

COMPARATIO DEFECTIVA.

Comparatio manca,

Inclytus, inclytissimus. Meritus, meritissimus, Opimus, Opimior, Sinister, sinisterior.

Ocyor, Ocyssimus, } ab ὠκύς { Nouus, Nouissimus, } { Iuuenis. Iunior.

Adolescens, Adolescētior. } { Senex, Senior, Maximus natu. } { Potior, Potissimus. } { Ante, Anterior.

Longinquus, Longinquior. } { Nuper, Nuperrimus. } { Pene, Penissimus.

Comparatio abusiua

Interdum etiam à substantiuis fit comparatio, sed abusiue:

vt { Neronior, Cinædior, Punior, } à { Nerone. Cinædo. Pœno.

DE PRONOMINE.

PRonomen, est pars orationis, qua in demonstranda aut repetenda re aliqua vtimur.

Pronomina sunt quindecim: Ego, tu, sui, ille, ipse, iste, hic, is, meus, tuus, suus, noster, vester, nostras, vestras.

Quibus addi possunt & sua composita.

vt { Egomet, Tutet, Idem, } & similia. Vt etiam Qui, quæ, quod.

DE ACCIDENTIBVS PRONOMINI.

Accidunt Pronomini Species, Numerus, Casus, Genus, Declinatio, Persona, Figura.

Species Pronominum est duplex: primitiua & deriuatiua.

Ad primitiuã spectant ista: Ego, tu, sui, ille, ipse, iste, hic, is. *Primitiua.*

Ex primitiuis alia sunt Demonstratiua, alia Relatiua.

Demonstratiua dicuntur eadem quæ & primitiua, nimirum Ego, tu, sui, ille, ipse, iste, hic, is. *Demonstratiua.*

Relatiua autem sunt Ille, ipse, hic, is, idem, qui. *Relatiua.*

Deriuatiua sunt Meus, tuus, suus, noster, vester, nostras, vestras. *Deriuatiua.*

Deriuatiuorum alia sunt Possessiua, alia Gentilia.

Possessiua sunt Meus, tuus, suus, noster, vester. *Possessiua.*

Gentilia ex eo dicuntur, quod gentem & nationem, vel partes & sectas significent: vt Nostras, vestras. & Cuias nomen. *Gentilia.*

DE NVMERO.

Numerus pronominum duplex est, Singularis, vt Ego: Pluralis: ut Nos.

DE CASV.

Casus autem sunt sex, quemadmodum in Nomine:

Vocatiuo carent omnia pronomina, præter hæc quatuor: Tu, meus, noster, Vestras.

Martialis tamen pronomini ipse, vocatiuũ tribuere videtur, quum ait. *Vt Martis reuocetur amor, sæuique tonantis,*

A te Iuno petat Cestos, & ipsa Venus.

DE GENERE.

Genera sunt in pronominibus perinde ut in Adiectiuis nomi-

 num

num. Alia enim ad tria genera referuntur: vt Ego, tu, sui. Alia per tria genera uariantur: vt Meus, mea, meum.

DE DECLINATIONE.

Declinationes pronominum sunt quatuor.

Prima pronominum declinatio.

Genitiuus autem primæ declinationis exit in I: vt.

Ego, Tu, } gtō. { Mei, Tui. } & Sui, quod recto caret in vtroque numero.

Secunda.

Genitiuus secundæ desinit in iius vel ius. Cuius formæ sunt

Ille, Ipse, Iste, } Genit. { Illius, Ipsius, Istius. } { Hic, Is, Qui, } Genit. { Huius. Eius. Cuius.

Tertia.

Genitiuus tertiæ declinationis exit in, i, æ, i, quemadmodum nominum adiectiuorum quæ per tres terminationes variãtur: Cuius sortis sunt

Ntō. { Meus, mea, meum. Tuus, tua, tuum. Suus, sua, suum. Noster, nostra, nostrum. Vester, vestra, vestrum. } Gtō. { Mei, meæ, mei. Tui, tuæ, tui. Sui, suæ, sui. nostri, nostrę, nostri Vestri, uestrę, uestri

Quarta.

Genitiuus quartæ habet ātis: ex quo ordine sunt

{ Nostras, Nestras, Cuias, } Genitiuo { Nostrātis. Vestrātis. Cuiātis.

Cæteri obliqui, in vtroque numero, ad formam nominum tertiæ declinationis inflectuntur.

DE PERSONA.

Personę pronominum sunt tres, { Prima, Secunda, Tertia, } vt { Ego. Tu. Sui.

DE FIGVRA.

Pronominũ cõpositio.

Figura est duplex: Simplex, vt ego. Composita, vt egomet. Pronomina inter se componuntur; ut Egoipse, Tuipse, Suĩpsius, Meĩpsius.

Nominatiuo

Ntō. { Istic, / Istæc, / Istoc, vel Istuc, } Accusat. { Istunc, / Istanc, / Istoc, vel istuc, } Ablati. { Istoc, / Istac, / Istoc.

Pluraliter, Nominatiuo & accusatiuuo Istæc. Eodem modo declinatur & Illic, Illæc, Illoc.

Componuntur etiam cum nominibus: vt Cuiusmodi, huiusmodi, istiusmodi, illiusmodi.

Componuntur & cum præpositionibus: vt Mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum, quicum, quibuscum.

Componuntur itidem & cum aduerbijs: vt

Eccum, Eccam, Eccos, Eccas, } ab ecce. { Ellum, Ellam, Ellos, Ellas, } ab Ecce. Vt & idem quoq; ab is & demum,

Cum coniunctione quoque componuntur: vt

Ntō. { Hiccine, / Hæccine, / Hoccine. } Actō. { Hunccine, / Hanccine, / Hoccine. } Abltō { Hoccine, / Haccine, / Hoccine.

Pluraliter, Hæccine neutrum.

Componūtur denique cum syllabicis adiectionibus: vt Met, Te, Ce, Pte.

Met. Mer, adijcitur primę & secundæ personę: vt Egomet, meimet, mihimet, memet, nosmet, &c. Sic sibimet quoq; ac semet dicimus.

Tumet. Tumet autem in recto nō dicimus, ne putetur esse verbum à Tumeo: Sed Tuimet, tibimet, temet, nosmet. &c,

Te. Te, adijcitur istis, { Tu, / Te, } vt { Tute. / Tete.

Ce. Ce, adijcitur obliquis horum pronominum, Hic, Ille, Iste, quoties in s, desinunt: vt Huiusce, hisce, illiusce, istiusce, hosce, illosce, istosce.

Pte. Pte, aponitur istis ablatiuis { Mea, / Tua, / Sua, / Nostra, / Vestra, } vt { Meapte, / Tuapte, / Suapte, / Nostrapte, / Vestrapte,

Interdum etiam masculinis & ueutris adijci solet: vt, Meopte marte, Tuopte labore, suopte iumento. Nostropte dāno. &c.

Quis. Quis & qui, ad hunc modum componuntur.

Quis, in compositione hisce particulis postponitur.

En, Ne, Alius, Num, Si, vt Ecquis. Nequis. Aliquis. Nunquis. Siquis. Et hæc tamẽ in fœminino singulari, quàm in neutro pluralli, quæ habent, non quæ: vt, Si qua mulier. Nequa flagitia. &c. Præter Ecquis, quod vtrunq; in fœminino habere reperitur, Etquæ & Ecqua.

Ecquis.

His autem particulis præponitur Quis in compositione,

Nam, Piam, Putas, Quam, Que, vt Quisnam, Quispiam, Quisputas, Quisquam, Quisque. Et hæc vbique (præterquam in ablatiuo singulari) Quę habent, non Qua: vt Quænam doctrina. Negotia quæpiam. Optima quęque.

Quis. Quis etiam cum seipso componitur: vt Quisquis, quod & in hunc modum uariatur.

Ntõ. Quisquis. Quicquid. Accusatiuo quicquid, Ablat Quoquo, Quaqua, Quoquo.

Qui in compositione pręponitur his particulis:

Dam, Vis, Libet, Cunq;, vt Quidam, Quiuis, Quilibet, Quicunq;. Et hæc vbique pręterquam in ablatiuo singulari, Quæ retinent, non Qua: vt, Quædam puella. Quæcunq; facinora.

DE VERBO.

VErbum, est pars orationis quæ modis & temporibus inflexa, esse aliquid, agere ue, aut pati significat: vt Sum, existo: moueo, moueor: tango, tangor.

Verbum diuiditur in primis in Personale: vt, Doceo: & Impersonale, vt Oportet.

Personale, est quod certis personis distinguitur: vt Ego lego, Tu legis, Hic legit, Illi legunt.

Contrà, impersonale dicitur, quod diuersarũ personarum uocibus non distinguitur nec uariatur: vt Pœnitet, tædet, miseret, oportet.

DE ACCIDENTIBVS VERBO.

Verbo quidem accidunt ista, Genus, Modus, Tempus, Figura, Species, Persona, Numerus, Coniugatio.

DE GENERE.

Quinque sunt verborū genera: { Actiuum, Passiuum, Neutrum, } { Deponens, Commune.

ACTIVVM.

Actiuum, est quod agere significat, & in o, finitum, passiuum in or formare potest: vt Doceo, doceor: Lego, legor.

PASSIVVM.

Passiuum, est quod pati significat, & in or finitum, actiui formam, r, dempto, resumere potest: vt
Amor, Amo. Afficior, Afficio.

NEVTRVM.

Neutrum, est quod in, o, vel in m finitum, nec actiuam, nec passiuam formam integre induere potest: vt Curro, ambulo, iaceo, sum.

Neutrorum tria sunt genera.

Nam aliud Substantiuum dicitur: vt Sum, es, est: sum⁹, &c. *Neutrum substant.*

Aliud Absolutum, sic dictū, quod ipsum per se sensum absoluat. *Neutrum absolutum.*

Atq; hoc rursum duplex est. Nam alterum actionem completam in ipso verbo significat, nec in aliud transeuntem: vt Ambio, dormio, pluit, mingit. Alterū verò passionem in ipso completam indicat. vt Palleo, rubeo, albesco, nigresco.

Est præterea & aliud, cuius actio in rem cognatæ significationis transit, ac tertiam personam passiuæ vocis vsurpat:

ut { Bibo vinum, Curro stadium, Viuo vitam, } { Vinum bibitur. Stadium curritur. Vita viuitur.

Sunt denique quę simplicia quidem neutra sunt, composita verò agendi uim concipiunt: ut Eo, Adeo: mingo, commingo.

DEPONENS.

Deponens, quod in or finitum, uel actiui significationem habet: ut Loquor verbum, Vel neutri: vt Philosophor.

COMMVNE.

Commune, quod in or finitum, tam actiuam quàm passiuam significationem obtinet: vt Veneror, criminor, consolor, stipulor, speculor, osculor, adulor, frustror, dignor, testor, interpretor, amplector, meditor, experior, ementior: multaque id genus alia, quæ passim apud ueteres reperias.

DE MODO.

Modi verborum sex enumerantur.

Indicatiuus. Indicatiuus, qui simpliciter aliquid fieri aut non fieri definit: vt *Probitas laudatur & alget.* Hic modus aliquando per interrogationem vsurpatur: ut *Quis legit hæc?* Aliquando per dubitationem: vt *An in æstu uenit aliud ex alio malum?*

Imperatiuus. Imperatiuus, quo inter imperandum utimur. Hic modus futurum non habet, sed præsens duplex: ut apud Propertium.

Aut si es dura, nega, sin es non dura, uenito.

Verg. *Tityre dum redeo, breuis est uia, pasce capellas:*
Et potum pastas age Tityre, & inter agendum
Occurrare capro (cornu ferit ille) caueto.

Præteritum autem à subiunctiuo mutuatur. Cicero. *Sed amabo te, nihil incommodo ualetudinis tuæ feceris.*

Martialis. *Dic quotus es, quanti cupias cœnare, nec ullum*
Addideris uerbum, cœna parata tibi est.

Quin & illa passiua, Præceptum sit, dictum sit, Determinatum sit, præteriti imperatiui esse fatetur Priscianus.

Hic modus etiam Permissiuus dicitur, quod interdum per hunc permissio significetur: vt

Si sine pace tua, atque inuito numine Troes,
Italiam petiere, luant peccata, nec illos Iuueris auxilio.

Denique aliquando etiam Suppositiuus aut Hortatiuus appellatur: vt *– eamus, & in media arma ruamus.* Vergil.

Optatiuus. Optatiuus, quo optamus fieri rem aliquam, nec refert factáne sit an fiat, an sit facienda: vt *Vtinam bonis literis suus detur bonos.*

Modus

Modus Optatiuus, Potentialis, & ſubiunctiuus, quinque ſeparata ĩſdem vocib', tempora habere vidētur, vt eſt author Linacrus. Præterea notandum eſt, Præſens huius modi aſſumere quandoque ſignificationem Futuri: vt *Vtinam aliquando tecum loquar.*

Potentialis, quo poſſe, velle, aut debere fieri aliquid ſignificamus: vt *Expectes eadem à ſummo minimóque poeta.* pro potes expectare. *Non expectes ut ſtatim gratias agat, qui ſanatur inuitus.* pro non debes expectare. *Quis enim rem tam ueterem pro certo affirmet?* pro uult affirmare. *Potentialis.*

Græci hunc modum, nunc per Indicatiuum, nunc per Optatiuum modum, & particulam ἂν exprimunt. *Græcorum optandi modus.*

Subiunctiuus, qui niſi alteri ſubiiciatur orationi, vel alterã ſib' ſubiectam orationem habeat, per ſe ſententiam non abſoluit: vt *Si fueris fœlix multos numerabis amicos,*
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris. *Subiunctiuus.*

Temporum igitur vocibus hi tres modi per omnia (ſicut dictum eſt) conueniunt: diſcernuntur verò ſignificatu & ſignis. Optatiuus enim ſemper adhæret aduerbio cuipiam optãdi: vt *Vtinam ueniat aliquando tempus.* Potentialis verò neque vllum aduerbium adiunctum habet, nec coniunctionem. Subiunctiuus autem ſemper aliquam coniunctionem annexam habet: ut *Si uenero. Vt tacedi. Quum cœnauero.* *Nota.*

Infinitiuus, qui agere quidem aut pati ſignificat, at citra certam numeri & perſonæ differentiam: vt *Malim probus eſſe quàm haberi.* *Infinitiuus.*

DE TEMPORE.

Tempora ſunt quinque.

Præſens, quo actio nunc geri ſignificatur: vt *Scribo.* *Præſens.*

Imperfectum, quo prius quidem aliquid in agẽdo fuiſſe ſignificatur, non tamen abſolutam tunc temporis fuiſſe actionẽ: Verg. *Hic templum Iunoni ingens Sydonia Dido*
Condebat. Erat enim adhuc in opere. *Imperfectum.*

Perfectum, quo præterita abſolutaq; ſignificatur actio. Hoc in paſſiuis, Deponẽtibus, & Cõmunibus duplex eſt, & ob id duplici circuitione explicatum. Alterum, quo proximè præteritum exprimitur: vt *Pranſus ſum.* Alterum, quo vlterius *Perfectum.*

præteritum exprimitur: vt *Pranſus ſum*. Alterum, quo vlterius præteritum indicatur: vt *Pranſus fui*. Non enim ſi modò pranſus ſis, Pranſus fui, commodè aptéue dixeris.

Pluſquam perfectum. Pluſquam perfectū, quo actio iam diu præterita ſignificatur.

Futurum. Futurum, quo res in futuro gerenda ſignificatur. Hic promiſsiuus modus à nonnullis vocatur, quod videatur aliquid promittere aut velle facere: vt Ouidius.

Ibimus ô Nymphæ, monſtrataq; ſaxa petemus.

Exactum. Huius aliud genus eſt, quod Exactum uocant: vt Videro, *abiero*. Terentius. *Si te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris.*

Quod quidem exactum, futurum etiam in ſubiunctiuo modo reperitur. Pli. *Ero ſecurior dum legam, ſtatimq; timebo, quũ legero.*

DE FIGVRA.

Figura eſt duplex, Simplex, ut facio: Compoſita, ut calefacio.

Verba cõpoſita, quorum ſimplicia exoleuerũt, ſunt defẽdo, offendo, aſpicio, cõſpicio, adipiſcor, experior, cõperior, expedio, impedio, deleo, imbuo, cõpello, appello, incẽdo, accendo, ingruo, cõgruo, infligo, inſtigo, impleo, cõpleo. & id genꝰ alia.

Quędam etiam videntur à gręcis natatut { Impleo, à πλῶ. / Percello à κελλῶ.

DE SPECIE.

Species eſt duplex.

Primitiua. Primitiua, quæ eſt prima verbi poſitio: vt Ferueo.

Deriuatiu. Deriuatiua, quæ à primitiua deducitur: ut Ferueſco.

Deriuatiuæ genera ſunt quinque.

Inchoatiua Inchoatiua, à grammaticis appellata (quæ Valla meditatiua potiùs & augmentatiua appellat) in Sco deſinunt: ut Labaſco, caleſco, ingemiſco, edormiſco.

Hæc aut inchoationem ſignificant: vt Luceſſit, id eſt incipit lucere. aut certè gliſcere & intendi: ut apud Vergilium. *Explere mentem nequit, ardeſcitque tuendo.* hoc eſt, magis magiſque ardet. Ex his plæraq; pro thematibus primarijs uſurpantur: ut *Timeſco, hiſco, conticeſco*, id eſt. *timeo, hio, taceo.*

Frequentatiua. Frequentatiua, dèſinunt in to, ſo, xo, aut tor: ut Viſito, affecto, ſcriptito, pulſo, uiſo, quaſſo, nexo, texo, uexo, ſector, ſcitor, ſciſcitor. Significant autem uei aſſiduitatem quandam uel conatũ: ut Dictito, i. frequenter dico. Viſo, i. eo ad uidẽdũ.

Huc

Huc pertinent & illa: Vellico, fodico, albico, & similia id genus, quæ à grammaticis etiam Apparatiua appellari solent. *Apparatiua.*

Desideratiua finiunt in urio: vt Lecturio, parturio, esurio, cœnaturio. Hæc ad significationem suorum primitiuorũ studium atque appetentiam quandam adijciunt: vt Lecturio, id est legere cupio. Cœnaturio, id est, Cupio cœnare. *Desideratiua.*

Diminutiua in Lo vel sso exeunt: vt Sorbillo, cantillo, pitisso, id est parum ac modicè sorbeo, canto, bibo. *Diminutiua*

Imitatiua, sunt quæ imitationem significãt: vt Patrisso, Atticisso, Platonisso. At latini hac forma non adeò delectati sunt, vnde pro Græcisso, Græcor vsi sunt: vt Cornicor, à cornice: Vulpinor, à vulpe: Bacchor, à Bacco. *Imitatiua.*

DE PERSONA.

Tres sunt verbi personæ, prima, vt Lego: Secunda, vt legis: tertia, vt legit.

NVMERVS.

Numeri sunt item duo, { Singularis, / Pluralis, } vt { Lego. / Legimus.

DE CONIVGATIONE.

Quandoquidem de coniugandorũ verborum ratione in Rudimẽtis Anglicis, traditũ est, quę pueri tanquã ungues suos exactissimè callere debẽt: proximum fuerit, ut hę Guilielmi Lilij de præteritis & supinis regulę lucidissmę quidem illę, compẽdiosissimæq́z, nec sane minus utiles, pari auiditate imbibãtur.

G. L. DE SIMPLICIVM

uerborum Primæ coiugationis, communi præterito.

AS in præsenti, perfectum format in aui,
Vt no nas naui, vocito vocitas vocitaui. *Hypermeter.*
Deme lauo laui, iuuo iuui. nexoq́z nexui,
Et seco quod secui, neco quod necui, mico verbum
Quod micui, plico quod plicui, frico quod fricui dat. *Hypermeter uersus plus iusto*
Sic domo quod domui, tono, quod tonui, sono verbum
Quod sonui, crepo quod crepui, veto quod uetui dat.

Atque

ma ſyllaba conſtat, ſed collidẽda cũ prima uoce ſequẽtis uerſus, id quod omnium commune eſt.

Atque cubo cubui. Rarò hæc formantur in aui,
Do, das, rite dedi: ſto ſtas, formare ſteti vult.

Secundæ coniugationis commune præteritum

ES in præſenti perfectum format ui dans,
Vt nigreo nigres nigrui: lubeo excipe iuſſi.
Sorbeo ſorbui habet, ſorpſi quoque. Mulceo mulſi,
Luceo vult luxi, ſedeo ſedi, videoq;
Vult uidi, ſed prandeo prandi, ſtrideo ſtridi.
Quatuor his infrà geminatur ſyllaba prima:
Pendeo namque pependi, mordeo uulſq; momordi:
Spondeo habere ſpopondi, tondeo vultq; totondi.
Suadeo ſuaſi, rideo riſi, habet ardeo & arſi.

Geo. L vel R, ante geo ſi ſtet, geo vertitur in ſi:
Vrgeo vt vrſi, mulgeo mulſi, dat quoque mulxi.
Frigeo frixi, lugeo luxi, habet augeo & auxi.

Leo. Dat fleo fles fleui, leo les leui, indeq; natum,
Deleo deleui, pleo ples pleui, neo neui:
A manco manſi formatur, torqueo torſi,

Veo. Hæreo vult hæſi. Veo ſit ui, vt ferueo ferui,
Niueo & inde ſatum, poſcit conniueo niui,
Et nixi. Iunge his cieo ciui, vieoq; uieui.

TERTIA CONIVGATIO.

TErtia præteritum formabit vt hic manifeſtum:

Bo. Bo fit bi, vt lambo lambi, Scribo excipe ſcripſi:
Et nubo nupſi, antiquum cumbo cubui dat.

Co. Co fit cì, ut uinco uici, vult parco peperci,
Et parſi. Dico dixi, duco quoque duxi.

Do fit di, vt mando mandi. Sed ſcindo ſcidi dat,
Findo fidi, fundo fudi, tundo tutudiq;.
Pendo pependi, tendo tetendi, pedo pepedi.

Cedo. Iunge cado cecidi, pro uerbero, cedo cecidi,
Cedo pro diſcedere ſiue locum dare, ceſſi.

Vado

Vado, rado, lędo, ludo, diuído, trudo,
Claudo, plaudo, rodo, ex do ſemper faciunt ſi.
Go fit xi, vt iungo iunxi. Sed, r, ante go vult ſi: Go.
Vt ſpargo ſparſi, lego legi, & ago facit egi.
Dat tango tetigí, pungo punxi, pupugíq.
Dat frango fregi, cum ſignat pango paciſci,
Vult pepigi: pro iungo pegi, pro cano panxi.
Ho fit xi, traho ceu traxi docet, & veho vexi. Ho.
Lo fit ŭi, colo ceu colui, Pſallo excipe cum p, Lo.
Et ſallo ſine p, nam ſallí format vtrunq.
Dat uello velli, vulſi quoque, fallo fefelli.
Cello pro frango ceculi, pello pepulíq.
Mo fit ŭi, vomo ceu vomui, ſed emo facit emi. Mo.
Como petit compſi, promo prompſi. Adiice demo.
Quod format dempſi, ſumo ſumpſi, premo preſſi.
No fit ui, ſino ceu ſiui, temno excipe tempſi. No.
Dat ſterno ſtraui, ſperno ſpreui, lino leui,
Interdum lini & leui, cerno quoque creui.
Gigno, pono, cano, genui, poſui, cecini dant.
Po fit pſi, vt ſcalpo ſcalpſi, rumpo excipe rupi. Po.
Et ſtrepo quod format ſtrepui, crepo quod crepui dat.
Quo fit qui, ut linquo líquí, coquo demito coxi. Quo.
Ro fit ui, ſero ceu pro planto & ſemino, ſeui: Ro.
Quod ſerui melius dat, mutans ſignificatum.
Vult uerro uerrí & uerſi, uro uſſi, gero geſſi,
Quæro quæſiui, tero triui, curro cucurri.
So velut accerſo, arceſſo, inceſſo, atque laceſſo, So.
Formabit ſiui. Sed tolle capeſſo capeſſi.
Quodq; capeſſiui facit: atque faceſſo faceſſi,
Sic viſo uiſi, ſed pinſo pinſui habebit.
Sco fit ui, ut paſco paui, vult poſco popoſci. Sco.
Vult didici diſco, quexi formare quiniſco.
To fit ti, ut uerto uerti. Sed ſiſto notetur To.
Pro facio ſtare actiuum, nam iure ſtiti dat.

Sterto

Sterto ſtertui habet, meto meſſui: ab ecto fit exi:
Vt flecto flexi, pecto dat pexui, habetq;
Pexi. Etiam necto dat nexui, habet quoque nexi.
Dat mitto miſi, petii peto ſiue petiui.
Vo. Vo fit ui, ut voluo volui, viuo excipe uixi,
Nexo ut nexui habet, ſic texo texui habebit.
Cio. Fit cio, ci: ut facio feci, iacio quoque ieci,
Antiquum latio lexi, ſpecio quoque ſpexi.
Dio. Fit dio di: vt fodio fodi: Gio, ceu fugio, gi.
Gio.
Pio. Fit pio pi, vt capio cepi, cupio excipe piui.
Rio. Et rapio rapui, ſapio ſapui, atque ſapiui.
Tio Fit rio ri: vt pario peperi: Tio ſi geminans, S,
Nt quatio quaſſi, quod uix reperitur in vſu.
Vō. Denique iio fit ii, ut ſtatuo ſtatui, pluo pluui
Format, ſiue plui. Struo ſed ſtruxi, fluo fluxi.

QVARTA CONIVGATIO.

Verborum quartæ commune præteritum

QVarta dat is, iui, monſtrat ſcio ſcis tibi ſciui:
Excipias venio dans ueni, cambio campſi,
Raucio rauci, farcio farci, ſarcio ſarci,
Sepio ſepſi, ſentio ſenſi, fulcio fulci.
Pes procelleuſmaticus Haurio item hauſi, ſancio ſanxi, uincio uinxi.
Pro ſalto, ſalio ſalui, & amicio amicui dat.
Parcius utemur cambiui, hauriui, amiciui,
Sepiui, ſanxiui, ſarciui, atque ſaliui.

DE COMPOSITORVM VERBORVM PRAETERITIS.

PRæteritum dat idem ſimplex & compoſitiuum,
Vt docui edocui monſtrat. Sed ſyllaba ſemper
Quam ſimplex geminat, compoſto non geminatur.
Præterquam tribus his, præcurro, excurro, repungo.
Atque à do, diſco, ſto, poſco, rite creatis.
A plico compoſitum cum ſub, uel nomine, ut iſta:
Plico. Supplico, multiplico, gaudent formare plicaui.

Applico

Applico, complico, replico, & explico, ſi vel in aui.
Quamuis vult oleo ſimplex olui, tamen inde
Quoduis compoſitum melius formabit oleui.
Simplicis at formam Redolet ſequitur, ſuboletq;. Oleo.
Compoſita à pungo, formabunt omnia punxi.
Vult vnum pupugi interdumq; repungo repunxi. Pungo.
Natum à do, quando eſt inflexio tertia, vt addo,
Credo, edo, dedo, reddo, perdo, abdo vel obdo,
Condo, indo, trado, prodo, vendo, didi: at vnum
Abſcondo abſcondi. Natum à ſto ſtas, ſtiti habebit. Do.
Sto.

Mutantia primam uocalem ubique in E.

Verba hæc ſimplicia præſentis præteritiq;,
Si componantur, vocalem primam in E mutant.
Damno, lacto, ſacro, fallo, arceo, tracto, fatiſcor.
Partio, carpo, patro, ſcando, ſpargo, parioq;, Fartio.
Cuius nata peri, duo comperit & reperit dant.
Cætera ſed perui, velut hæc, aperire, operire.
A paſco paui, tantùm compoſta notentur Paſco.
Hæc duo, compeſco, diſpeſco, peſcui habere.
Cætera vt epaſco, ſeruabunt ſimplicis uſum.

Mutantia primam uocalem ubique in I.

Hæc, habeo, lateo, ſalio, ſtatuo, cado, lædo:
Pango dans pegi, cano, quæro, cædo cecidi.
Tango, egeo, teneo, taceo, ſapio, rapioq;,
Si componantur, vocalem primam in I mutant:
Vt rapio rapui, eripio eripui. A cano natum, Cano.
Præteritum per ui, ceu concino concinui dat,
A placeo ſic diſpliceo: ſed ſimplicis vſum Placeo.
Hæc duo, complaceo, cum perplaceo bene ſeruant.
Compoſita à pango retinent A: quatuor iſta, Pango.
Depango, oppango, circumpango, atque repango.
A maneo manſi: minui dant quatuor iſta, Maneo.
Premineo, emineo, cum promineo, immineoq;.

Simplicis

Simplícis at verbi seruabunt cætera formam.
Scalpo. Composíta à scalpo, calco, salto, a per u, mutant:
Id tíbi demonstrant exculpo, inculco, resulto.
Claudo. Composíta à claudo, quario, lauo, reiíciunt, a:
Id docet à claudo, occludo, excludo: à quatioq;
Percutio, excutio: à lauo, proluo, díluo nata.

Mutatis primam uocalem ubique in I, præterquam in præterito.

Hæc si componas, ago, emo, sedeo, rego, frango,
Et capio, iacío, latío, specío, premo, semper
Vocalem primam præsentis in I sibí mutant:
Præteriti nunquam, seu frango, refringo refregí.
A capío, incipio incepi. sed pauca notentur:
Namq; suum simplex perago sequítur, saragoq;.
Ago. Vtq; ab ago, dego dat degí, cogo coëgí,
Rego. A rego, sic pergo perrexí: vult quoque surgo
Surrexí, media præsentis syllaba adempta.
Facio. Nil variat facío nisi præposíto præeunte,
Id docet olfacío, cum calfacio, inficiuq;.
Lego. A lego nata, re, se, per, præ, sub, trans præeunte,
Præsentis seruant vocalem, in, i, cætera mutant.
De quíbus hæc, intelligo, diligo, negligo, tantùm
Præteritum lexi faciunt, reliqua omnía, legí.

DE SIMPLICIVM VERBORVM SVPINIS

NVnc ex præterito díscas formare supinum.
Bi. Bí sibi tum format, sic namque bibí bibitum fit,
Ci. Cí fit ctum, ut uici uictum, testatur & ici
Dans ictum, feci factum, ieci quoque iactum.
Dí fit sum, ut uidi uisum: quædam geminant S,
Di. Vt pandi passum, sedi sessum, adde scidi quod
Dat scissum, atque fidi fissum, fodi quoque fossum.
Hic etiam aduertes, quod syllaba prima supínis
Quam uult præteritum geminari, non geminatur:
Idq; totondi dans tonsum docet, atque cecidi

Quod

Quod cæsum, & cecidi quod dat casum, atque tetendi
Quod tensum & tentum, tutudi tunsum, atque pepedi
Quod format peditum, adde dedi quod iure datum uult.
Gi fit ctum, vt legi lectum, pegi pepigiq; Gi.
Dat pactum, fregi fractum, tetigi quoque tactum,
Egi actum, pupugi punctum, fugi fugitum dat.
Li fit sum, ut salli, stans pro sale condio, salsum. Li.
Dat pepuli pulsum, ceculi culsum, atque fefelli
Falsum: dat velli uulsum, tuli habet quoque latum.
Mi, ni, pi, qui, tum fiunt, velut hic manifestum: Mi. Ni. Pi. Qui.
Emi emptum, ueni uentum, cecini à cano, cantum.
A capio cepi, dans captum, à cœpio cœptum.
A rumpo rupi ruptum, liqui quoque lictum.
Ri fit sum, ut verri uersum, peperi excipe partum. Ri.
Si fit sum, vt uisi uisum: tamen, ss, geminato, Si.
Misi formabit missum, fulsi excipe fultum:
Hausi haustum, farsi fartum, farsi quoque fartum,
Vssi ustum, gessi gestum, torsi duo, tortum
Et torsum: indulsi indultum, indulsumq; requirit.
Psi fit ptum, vt scripsi scriptũ, campsi excipe campsum Psi.
Ti fit tum, à sto namque steti, à sisto que stiti fit, Ti.
Præterito commune statum, verti excipe versum.
Vi fit tum, flaui ut flatum, paui excipe pastum. Vi.
Dat laui lotum, interdum lautum atque lauatum,
Potaui potum, interdum facit & potatum:
Sed faui fautum, caui cautum, à sero seui
Formes ritè satum. Liui liniq; litum dat,
Solui à soluo solutum, volui à voluo uolutum.
Vult singultiui singultum, væneo vænis
Væniui, vænum: sepeliui ritè sepultum.
Quod dat ũi dat itũ, vt domui domitũ: excipe quoduis vi.
Verbum in ũo, quia semper ũi formabit in utum
Exui vt exutum, à ruo deme rui, ruitum dans
Vult secui sectum, necui nectum, fricuique

Proceleuſmaticus. Fictum: miſcui item mixtum, & amicui datamictum.
Torrui habet toſtum, docui doctum, tenuíq;
Tentum, conſului conſultum, alui altum, alitumq;.
Sic ſalui ſaltum, colui occului quoque cultum.
Pinſui habet piſtum, rapui raptum, ſeruíq;
A ſero, vult ſertum, ſic texui habet quoque textum.
Hæc ſed ui mutant in ſum, nam ſenſeo ſenſum,
Celluí habet celſum, meto meſſui, habet quoque meſſum:
Nexuitem nexum, ſic pexui habet quoque pexum.
Dat patui paſſum, carui caſſum, caritumq;.
Xi fit ctum: vt vinxi vinctum: quinque abiiciunt, n,
Nam finxi fictum, minxi mictum, inq; ſupino
Dat pinxi pictum, ſtrinxi, rinxi quoque rictum.
Xum, flexi, plexi, fixi dant, & fluo fluxum.

DE COMPOSITORVM VERBORVM SVPINIS.

COmpoſitum vt ſimplex formatur quodque ſupinũ:
Quamuis non eadem ſtet ſemper ſyllaba vtríq;.
Tundo. Compoſita à tunſum, dempta, n, tuſum: à ruitũ fit.
Ruo. I media dempta, rutum, & à ſaltum quoque ſultum.
Salio. A ſero, quando ſatum format, compoſta ſitum dant.
Sero. Hæc captum, factum, iactum, raptum, a, per, e, mutant.
Et cantum, partum, ſparſum, carptum, quoque fartum.
Edo. Verbum edo compoſitum, non eſtum, ſed facit eſum.
Vnum duntaxat comedo, formabit vtrunque.
A noſco tantùm duo, cognitum & agnitum habentur:
Cætera dant notum, nullo eſt iam noſcitum in uſu.

PRAETERITA VERBORVM IN OR.

VErba in or, admittunt ex poſteriore ſupino
Præteritum, verſo, u, per us, & fum conſociato
Vel fuit vt à lectu, lectus ſum vel fui. At horum
Nunc eſt deponens, nunc eſt commune notandum.

Nam:

Nam Labor lapsus, patior dat passus, & eius *Patior.*
Nata, vt compatior compassus, perpetiorq́;
Formans perpessus. Fateor quod fassus, & inde *Fateor.*
Nata, vt confiteor cofessus, diffiteorq́;
Formans diffessus. Gradior dat gressus, & inde *Gradior.*
Nata, vt digredior digressus. Iunge fatiscor,
Fessus sum, mēssus sum metior, vtor & usus.
Pro texo orditus, pro incepto dat ordior orsus.
Nitor, nisus uel nixus sum, vlciscor & ultus.
Irascor simul iratus, reor atque ratus sum.
Obliuiscor vult oblitus sum: fruor optat
Fructus vel fruitus: misereri iunge misertus.
Vult tuor & tueor, non tutus, sed tuitus sum. *Tuor.*
Quamuis & tutum & tuitum sit utriq́; supinum:
A loquor adde loquutus, & à sequor adde sequutus. *Loquor.*
Experior facit expertus: formare paciscor
Gaudet pactus sum, nanciscor nactus. Apiscor *Apiscor.*
Quod uetus est uerbū, aptus sum: unde adipiscor adeptus.
Iunge queror questus, proficiscor iunge profectus.
Expergiscor, sum experrectus: Et hæc quoque commi-
niscor commentus, nascor natus, moriorq́;
Mortuus, atque orior, quod præteritum facit ortus.

DE VERBIS GEMINVM PRAETERITVM *mutuantibus.*

PRæteritum actiuę & passiuæ vocis habent hęc:
Cœno cœnaui & cœnatus sum tibi format.
Iuro iuraui & iuratus, potoq́; potaui
Et potus, titubo titubaui uel titubatus, *Versus hypermeter.*
Sic careo carui cassus sum: prandeo prandi
Et pransus, pateo patui & passus, placeoq́;
Dat placui & placitus, suesco sueui atque suetus.
Væneo pro vendor, uæniui, vendius & sum,
Nubo nupsi nuptaq́; sum, mereor meritus sum.

Vel merui: adde libet libuit, libitum. Et Licet adde
Quod licuit, licitum. Tædet quod tæduit, & dat
Pertęsum: adde pudet, faciens puduit, puditumq;
Atque piget, tibi quod format piguit, pigitumq;

DE NEVTROPASSIVORVM PRAETERITIS.

NEutropassiuum sic præteritum tibi format.
Gaudeo gauisus sum, fido fisus, & audeo
Ausus sum, fio factus, soleo solitus sum.
Moereo, sum mœstus, sed Phocæ nomen habetur.

Versus hypermeter.

DE VERBIS PRAETERITVM mutuantibus.

QVædam pręteritum verba aceipiunt aliunde.
Incœptiuum in sco, stans pro primario, adoptat
Præteritum eiusdem verbi: vult ergo tepesco
A tepeo tepui, feruesco à ferueo ferui.
A video, cerno uult uidi: à concutio uult
Præteritum quatio, concussi, à percutioq;
Percussi, ferio: à mingo vult meio, minxi.
A Sedeo Sido, vult sedi, à suffero tollo,
Sustuli, & à fuo Sum, fui, & à tulo rite fero, tuli.
A sto sisto, steti, tantum pro stare: furoq;
Insaniui, à verbo eiusdem significatis:
Sic poscunt vescor, medeor, liquor & reminiscor,
Prętęritum à pascor, medicor, liquefio, recordor.

Hypermeter.

DE VERBIS PRAETERITO CARENTIBVS.

PRęteritum fugiunt vergo, ambigo, glisco, fatisco,
Polleo, nideo. Ad hæc inceptiua, vt pueraſco:
Et passiua, quibus carueresactiua supinis:
Vt metuor, timeor: Meditatiua omnia, præter
Parturio, esurio, quæ prętęritum duo seruant.

VERBA SVPINVM RARO ADMITTENTIA.

Hæc raro aut nunquam retinebunt verba supinum.

Lambo.

Lambo,mico micui,rudo,ſcabo,parco peperci,
Diſpeſco,poſco,diſco,compeſco, quiniſco,
Dego,ango,ſugo,lingo,mingo,ſatagoq;.
Pſallo,volo,nolo,malo,tremo,ſtrideo,ſtrido.
Flaueo,liueo,auet,paueo,conniueo,feruet.
A nuo compoſitum, vt renuo: à cado,vt incido: præter
Occido,quod facit occaſum,recido q; recaſum.
Reſpuo,lingo,luo, metuo,cluo,frigeo,caluo,
Et ſterto,timeo:ſic luceo,& arceo,cuius
Compoſita ercitum habent. Sic à gruo, vt ingruo natum.
Et quęcunque in ŭi formantur neutra ſecundæ,
Exceptis oleo,doleo,placeo,taceoq;,
Pareo,item careo,noceo,pateo,lateoq;.
Et valeo,caleo, gaudent hæc namque ſupino.

DE VERBIS DEFECTIVIS.

SEd nunc vt totum percurras ordine verbum,
Iſtis pauca dabis mutilata & anomala verba.
Quę quia clauda quidem remanent,nec verſibus apta,
Qui rectis pedibus pleniſq; incedere gaudent:
Hiſce ſequens dabitur quem cernis ſermo ſolutus.

Præſens indicatiuus,Aio,ais,ait.Plu, aiunt. *Aio.*
Præteritum imperfectum, Aiebam,aiebas,aiebat.Plural.Aiebamus,aiebatis,aiebant. Imperatiuus, Ai.
Præſens Optatiuus, Potentialis,& Subiunctiuus, Aias, aiat. Pluraliter,aiamus,aiant. Præſens participium, Aiens.

Præſens optatiuus,& ſubiunctiuus,Auſim,auſis,auſit. *Auſim.*
Pluraliter,auſint.

Imperatiuus,Aue,aueto.Pluraliter,auete,auetote. *Aue.*

Imperatiuus, Cedo.Pluraliter,Cedite. *Cedo.*

Futurum.Faxo,faxis, faxit. pro faciam vel fecero. Pl.faxint. *Faxo.*
Imperfectum.Opt.Poten.& Subiunct. Forem,fores,foret. *Forem.*

pro essem, esses, esset. Pluraliter. Forent.
Infinitiuus, Fore, id est Futurum esse.

Quæso. Præsens Indicatiuus, Quæso. Pluraliter, Quæsumus.

Infit. Infit sola vox est, Dicit seu dixit significans.

Inquio. Prçsens indicat. Inquio vel inquam, inquis, inquit. Pl. inquiũt. Præterperfectum, Inquisti, inquit. Futurum, inquies, inquiet. Imperatiuus, Inque apud Terentium: Inquito apud Plautum.
Præsens Optatiuus, potentialis, & Subiunctiuus, Inquiat. Participium, Inquiens. Futurum, Inquies, inquiet.

Odi, &c. Hçc quatuor sequentia, Odi, cœpi, memini, noui, omnes voces prçteriti perfecti, & plusquam perfecti omnium modorum integras habent: vt & futuri quoq;, quoties à præterito indicatiui formatur: in reliquis magna ex parte deficiunt, nisi quod memini in imperatiuo sing. memẽto. Plur. Memẽtote habet.
Notabunt præterea pueri, Dor, furo, for, der, fer à for, simplicia non reperiri.

Præterea { Dic, Duc, Fer, Fac, } pro { Dice, Duce, Fere, Face, } votes esse per apocopen concisas & decurtatas.

Denique notabunt, Eo & queo, habere imperfectum Ibam, quibam: In futuro, Ibo, quibo.

DE VERBIS IMPERSONALIBVS.

ET de personalibus quidem hactenus dictum esto, deinceps verò de Impersonalibus dicẽdum, quæ nominatiuũ certę personę non recipiunt, sed mutatur nominatiu⁹ personę in obliquos: vt quod Anglicè personaliter dicimus, *I muste read Vergil*; Latinè impersonaliter effertur, Oportet me Legere Vergiliũ.

Impersonalia cur sic dicta.

Impersonalia igitur appellantur, non quod persona careant, (habent enim vt videmus, vocem tertiæ personę tam actiuam quàm

quàm passiuam, quamplurima) sed quia nulli persone aut numeri certam significationem, nisi ex adiuncto nominis vel pronominis casu obliquo, sortiãtur. Nam oportet me, primę personæ esse videtur, numerique singularis: Oportet nos, primæ personæ pluralis: Oportet te, secundæ personæ singularis: Oportet vos, secundæ pluralis. atque itidem de reliquis.

Sunt igitur impersonalia duplicia { Actiuæ vocis, & Passiuæ vocis.

Impersonalia actiuæ uocis sunt hæc, & his similia: *Impersonalia actiuæ uocis.*

Est,	Accidit,	Vacat,	
Interest,	Contingit	Præstat,	Constat,
Refert,	Euenit,	Restat,	Conducit,
Placet,	Expedit,	Decet,	Miseret,
Libet,	Liquet,	Oportet,	Piget,
Pœnitet,	Licet,	Potest,	Pudet.
Tædet,	Solet,	Iuuat,	

Denique nullum fere verbum est tam personale, vt non idem impersonalis formam possit induere: nec è diuerso. Nam horum quædam personaliter vsurpantur: ut *Virtus placet probis, Pecunia omnia potest. Ars iuuat egentes.*

Quædam verò semper manent impersonalia, vt Pudet, pœnitet, oportet. Tametsi legere est apud Terentium.

Quæ adsolẽt, quæque oportent signa ad salutem esse, huic omnia esse uideo.

Coniugãtur autem in tertia persona singulari, per omnes modos. Aliquet non extat præteritum. *Coniugantur in tertia persona.*

Tædet, pertæsum est format.

Miseret & miserescit, misertum est.

Inueniũtur etiam in usu { Placitũ est, Libitũ est, Puditũ est, Licitũ est, Pigitũ est, } præterit. à { Placet. Libet. Pudet. Licet. Piget. }

Impersonalia passiuę vocis, fiunt ab omnibus verbis actiuis & neutris: vt Curritur, Turbatur. *Impersonalia passiuæ uocis.*

Impersonalia, Supinis & vocibus Gerundij carent.

DE GERVNDIIS.

Carent supino & Gerundio.

GErundi porrò voces participialia vocari possunt, quod similia participijs sunt: sicut prouerbialia dicimus, quæ sunt similia prouerbijs.

Proinde quia videbam⁹ parùm cõuenire inter grammaticos, vtrum ad verba an ad participia propius pertinerent, hinc in confinio vtriusq; partis relinquimus, vt vtri uelint sese regno addicant.

Porrò à nomine casum, à verbo agendi uel patiendi, uel neutrius, significationem accipiunt.

Et quia temporum nec discrimen discretis vocibus recipiunt, neque numeros aut personas admittunt, ideò nec iusta verba esse possunt, nec participia.

Terminationes Gerũdij.

Gerundi terminationes sunt tres { Di, genitiui casus. / Do, datiui & ablatiui. / Dum, nominatiui & acc.

Gerundia autem actiuè maiore ex parte significare, nulli dubium est, licet interdum etiam passiuè significent. Cuius rei exempla erunt ista: *Athenas quoque missus erudiendi causa.* id est, vt erudiretur. *Vtrique uidendo fœmina.* id est, dum uidetur. *Satis ad cognoscendum illustria. Ars ad discendum facilis.* id est, ut cognoscantur. Vt discatur.

DE SVPINIS.

SVpina quoque meritò participialia verba dicuntur, omniáque cum gerundijs uocibus communia habent. Exeunt autem Prius in um, Posterius in u: ut Visum, uisu. Significant autem Prius quidem ferè actiuè (sicut in Rudimentis dictum est) Posterius uerò passiuè.

DE PARTICIPIO.

PArticipium est pars orationis inflexa casu, quæ à nomine genera, casus, & declinationem: a Verbo Tempora & significationes: ab utroque Numerum & Figuram accipit.

DE

DE ACCIDENTIBVS PARTICIPIO.

Accidunt participio sex, { Genus, Casus, Tempus, } { Significatio, Numerus, Figura. }

De genere autem & casu & declinatione, idem hic statuendum, quod supra in Nomine est traditum.

TEMPVS.

Tempora Participiorum sunt quatuor.

Præsens in Ans uel Ens: vt Amans, Legens. *Præsens.*

Cæterum Iens, participium ab Eo, simplex rariùs legitur in Nominatiuo, sed euntis, eunti, euntem, eunte, in obliquis.

Composita verò Nominatiuum quidem in iens finitum habent, genitiuum autem in untis: vt Abiens, abeuntis: Rediens, redeuntis. Præter vnum Ambiens, ambientis. &c. *Composita in iens.*

Hãc formã sequuntur etiam horum gerundia: vt Abeundi, abeundo, abeundum. Præter ambiendi, ambiendo, ambiendũ.

Præteritum verò in { Tus, Sus, Xus, } vt { Amatus. Visus. Nexus. } *Præteritũ*

Futurum autem duplex. Alterum quidem in Rus, Actiuæ vt plurimum significationis: Aut neutralis: vt Lecturus, cursurus. Alterum uerò in dus, passiuæ significationis semper: vt Legendus. *Futurum.*

SIGNIFICATIO.

Actiuè significant ea participia, quæ ab actiuis cadunt: vt Docens, docturus. Verberans, verberaturus.

A neutris cadentia, neutraliter significant: vt Currens, cursurus, dolens, doliturus.

A quibusdam neutris reperiuntur etiam participia in Dus: vt Dubitandus, vigilandus, carendus, dolendus. *Participia in dus.*

Passiuè significant, quæ à passiuis descendunt: vt Lectus, legendus. Auditus, audiendus.

Fiunt participia passiua ab huiusmodi neutris, quorum tertiæ personę passiuè vsurpantur: vt *Aratur terra.* Hinc arata & aranda terra. *Participia passiua à neutris.*

Participia formata à deponentibus, imitantur significatio- *Participia*

Pass. à deponentibus.

nem suorum verborum: vt Loquens, loquutus, loquuturus. à loquor.

Deponentibus, quę olim communia fuerunt, manet participium futuri in Dus: ut

{Sequendus, Loquendus,} {Vtendus, Patiendus,} {Obliuiscendus. & alia id genus.}

Habent & deponentia præteriti temporis participia, quæ nunc actiuè, nunc passiuè significant: ut

Vergilius. *Nunc oblita mihi tot carmina.*

Terentius. *Meditata sunt mihi omnia mea incommoda.*

Vergilius. *-mentitaque tela Agnoscant.*

Communium deniq; verborum participia, ipsorum significationem induunt: ut Criminans, criminatus, criminatur⁹, criminandus.

Impersonalia carent particip.

Ab impersonalibus nulla extant participia, præter Pœnitens, decens, libens, pertæsus, pœnitendus, pudendus.

Participia deducta à uerbis præter analog.

Hęc participia præter analogiam à verbis suis deducuntur: Pariturus, nasciturus, moriturus, oriturus, osurus, futurus.

Similia participijs sunt istat Tunicatus, togatus, personatus, laruatus. Et innumera huius sortis vocabula, quæ à nominibus, non à verbis deriuantur.

Participia deriuata à nominibus.

NVMERVS.

Est & numerus in participijs, vt in nomine: Singularis, vt Legens: Pluralis, ut Legentes.

FIGVRA.

Participia fiũt nomina participialia.

Figura est duplex {Simplex, Compositа,} vt {Spirans. Respirans.}

Participia aliquando degenerãt in nomina participialia vel quum alium casum quàm suum verbum regunt:

ut {Abundans lactis, Alieni appetens,} {Patiens inediæ. Fugitans litium.}

Vel cum componuntur cum dictionibus, cum quibus ipsorum verba componi non possunt: vt Infans, indoctus, innocens, ineptus.

Vel

Vel cum cõparantur: vt { Amans, Amantior, Amantissimꝰ. } { Doctus, Doctior, Doctissimus.

Vel cum tempus significare desinunt: vt

Expectem qui me nunquam uisurus abisti? Hoc est, Qui eo animo discessisti, ut me amplius non uideres?

Nullam mentionem fecit cometarum, non prætermissurus si quid explorati haberet. id est, *ita affectus, ut non prætermitteret.*

Amandus est doctissimus quisque. i. *dignus est, uel debet amari.*

Vita laudata. i. *laudabilis.*

Eijcienda est hæc mollities animi. i. *debet eijci.*

Participia præsentis, temporis, non rarò fiunt substantiua nomina. Modò in masculino genere, vt Oriens, occidens, profluens, confluens. Modò in fœminino: vt Consonans, continens. Modò in neutro: vt Contingens, accidens, antecedens, consequens. Modò in communi genere pro verbalibus in tor vel trix: vt Appetens, diligens, sitiens, indulgens. Animans modò fœmininum, modò neutrum reperitur. *Participia præs. temporis fiunt nomina.*

DE ADVERBIO.

ADuerbium est pars orationis non flexa, quæ adiecta verbo, sensũ eius perficit atque explanat. Explanat etiam interdum & nomen: vt *Homo egregie impudens. Ne parùm sis leno. Nimium philosophus.* Aliquoties & Aduerbium: vt *Parum honestè se gerit.*

ACCIDENTIA ADVERBIO.

Aduerbio accidunt { Significatio, Comparatio, } { Species, Figura.

Significationis varietas, ex verborũ circũstãtijs colligẽda est.

In Loco significant: Hîc, illîc, istîc, intus, foris, vsquam, nusquam, vbi, vbique, vbicunq;, vbilibet, vtrobiq;, vbiuis, vbiubi, ibi, alibi, alicubi, necubi, sicubi, inibi, ibidem, interiꝰ, superiùs. *Aduerbia Loci.*

Ad locum respiciunt, hûc, illûc, istûc, intro, alio, quo, aliquo, nequo, quoquo, si quo, eo, eodẽ, quolibet, quouis, quocunque, foras, horsũ, aliorsum, dextrorsum, siniſtrorsum, sursum, deorsum. *Ad Locum significãtia.*

deorſum, vtroque, neutro, quoquouerſum.

A loco ſignificantia. A Loco denotãt, Hinc, illinc, iſtinc, intus, foras, inde, vnde, aliunde, alicunde, ſicũde, necunde, indidem, vndelibet, vndeuis, vndecunque, ſupernè, infernè, cœlitus, funditus.

Per locum ſignificantia Denique per locum innuunt, Hâc, illâc, iſtâc, quacunq;, eâ, eâdem, aliâ, aliquâ, ſi quâ, nequâ, quaqua.

Temporis aduerbia. Aduerbia temporis ſunt: Dum, quum, quando, aliquando, quamdiu, dudum, quamdudum, iamdudũ, quampridem, iampridẽ, vſque, quouſque, toties, quoties, aliquoties, heri, hodie, cras, pridie, poſtridiè, perẽdiè, mane, veſperi, nudiuſtertius, nudiuſquartus, nudiuſquintus, nudiuſſextus. &c. Diû, noctu, interdiu, nunc, iam, nuper, aliâs, olim, item, pridem, tantiſper, pauliſper, parumper, ſæpè, rarò, ſubinde, identidem, plęrunq;, quotidie, quotannis, nunquam, vnquam, adhuc, etiam pro adhuc, hactenus, in ˇ dies, in ˇ horas, vt primum, quũ primũ, ſimulac, ſimulatq;. Vſque temporis & loci Aduerbium eſt: vt *vſque ſub obſcurum noctis. Ab Aethiopia eſt uſque hæc.* Eſt & vbi pro ſemper aut continuè ponitur: vt *Vſque metu micuere ſinus.*

Vſque.

Numeri. Aduerbia Numeri, vt Semel, bis, ter, quater, quinquies, ſeptie, vigeſies, trigeſies, quadragies, quinquagies, ſeptuagies, octogies, Centies, Millies, infinities.

Ordinis. Ordinis ſunt, Inde, deinde, hinc, dehinc, deinceps, nouiſſimò, in ˇ primis, poſtremò, primum, iam ˇ primùm, denique, demùm tandem, adſummum. & ſimilia.

Interrogandi. Aduerbia Interrogandi ſunt: Cur, quamobrem, quare, quomodo, ecquid, quin pro cur non, num, quid ita, quo, vnde, quantum.

Vocandi. Vocandi ſunt, ò, heus, eho. & ſi qua ſunt ſimilia.

Negandi. Negandi; vt Haud, non, minimè, nequaquam, ne pro non, & ſimilia.

Affirmandi Affirmandi: vt Etiam, ſic, quidni, ſane, prorſus, nempe, nimirum, certè, profectò, adeò, planè, ſcilicet.

Iurandi. Iurandi; vt Hercle, mehercules, mediusfidius, diusfidius, pol,

Pol, ædepol, Castor, ecastor.

HORTANDI: vt Agè, sodes, sultis, amabo, agêdum, ehodum, eia, agite. Hortandi.

Prohibendi: vt Ne, non. Prohibendi

OPTANDI: vt Vtinam, si, ô si, ô. Optandi.

Excludendi: vt Modò, dummodò, tantummodò, solummodò, tantùm, solùm, duntaxat, demùm. Excludẽdi.

CONGREGANDI: vt Simul, vnà, pariter, populatim, vniuersim, coniunctim, &c. Congregandi.

Segregandi: ut Seorsim, gregatim, egregiè, nominatim, viritim, oppidatim, vicatim, priuatim, speciatim, bifariam, trifariam, omnifariam, plurifariam, ostiatim. Segregandi

DIVERSITATIS: vt Aliter, secus. Diuersit.

Eligendi: vt Potiùs, potissimùm, immò, satius. Eligendi.

INTENDENDI: vt Valdè, nimis, nimium, immodicè, impendio, impensè, prorsus, penitus, funditus, radicitus, omnino. Intendendi.

Remittendi: ut Aegre, paulatim, sensim, pedetentim. Remittẽdi.

CONCEDENTIS: ut Licet, esto, demus, sit ita, sit sane. Cõcedẽtis.

Negatæ solitudinis: ut Non solùm, non tantùm, non modò, nedum. Negatæ solitudinis.

QVALITATIS: Vt Doctè, pulchrè, fortiter, grauiter. Qualitatis.

Quantitatis: vt Parùm, minimè, maximè, summùm, adsummum. & similia. Quãtitatis.

COMPARANDI: vt Tàm, quàm, magis, minus, maximè, minimè, æquè. Cõparandi.

Rei non peractæ: vt Fermè, ferè, propè, propemodum, tantùm, tantum non, modò non. Rei nõ peractæ.

DEMONSTRANDI: ut En, ecce, sic. vt cum dicimus, *Sic scribito.* Demonstrandi.

Explanandi: vt Id est, hoc est, quasi dicas, puta, utputà, utpote. Explanãdi.

DVBITANDI: ut Forsan, forsitan, fortassis, fortasse. Dubitandi.

Euen-

Euentus. Euentus: vt Forte, casu, forte fortuna.

Similitudinis. Similitudinis: ut Sic, sicut, sicuti, ita, item, itidem, tanquam, quasi, ceu, vti, uelut, veluti.

COMPARATIO.

Cõparatio. Aduerbia à nominibus adiectiuis nata, & comparantur, & regunt casus comparatiui & superlatiui: vt Doctè, doctiùs, illo, doctissimè omnium.

Similiter & quædam alia: vt Benè, melius, optimè. Malè, peius, pessimè. Sæpe, sæpius, sæpissimè. Nuper, nuperrime, & similia.

SPECIES.

Species est duplex: Principalis, quæ ex se originem habet: vt *Heri, cras.*

Deriuatiua, est eorum quæ nata sunt aliunde: ut *Furtim, à furor. Strictim, à stringo. Humaniter, ab humanus.*

Aliquando neutra adiectiua induunt formam Aduerbiorum, ad grecorum imitationem: ut Recens, pro recenter: torum, pro torue.

FIGVRA.

Figura est duplex: Simplex, ut Prudenter, Composita, ut imprudenter.

DE CONIVNCTIONE.

Coniunctio, est pars orationis quę sententiarum clausulas aptè connectit.

ACCIDENTIA CONIVNCTIONI.

Coniunctioni accidunt Figura, Potestas, & Ordo.

FIGVRA.

Figura est duplex, Simplex, ut nam: Composita, ut namq;.

POTESTAS.

Potestas, id est significatio, est uaria: Aliæ enim è coniunctionibus copulatiuæ sunt: ut Et, ac, que, atque, quoque, etiam,

am, item, itidem, cum, & tum.

Tum item geminatum: vt *Vir tum probus, tum eruditus.* Tum.

Huc ſpectant & his contrariæ: vt Nec, neque, neu, neue.

Hæ quatuor ſequentes, Et, quę, nec, neque, cum geminãtur Suſpenſiue etiam vocantur, quod aliud ſemper expectari faciant, vt *Et fugit, & pugnat. Nec ſapit iſta, nec ſentit.* Suſpenſiuæ.

Alæ Diſiunctiuæ: vt Aut, vel, ue, ſeu, ſiue. Diſiũctiuæ.

At iſtæ cum geminantur, Suſpenſiuæ etiam vocantur: vt, *Vel ſcribit uel dictat.*

Aliæ diſcretiuæ: vt Sed, ſedenim, at, aſt, atqui, quidem, autem, quoque, ſcilicet, cęterum, verò, enimuerò, quodſi, verùm, porrò, quin. Diſcretiuæ.

Alię rationales, ſeu illatiuę: vt Ergo, ideo, igitur, itaque, idcirco, quare, quamobrem, quo circa, proinde, propterea, ob eam rem, ea re. Cicero, *Ea re ſtatim ad te Ariſtocritum miſi.* Rationales: ſeu illatiuæ.

Alię cauſales, id eſt, quę rationem prędcedentis orationis inferunt: vt Nam, namque, enim, etenim, quod, quia, quippe, vt pote, ſiquidem, quando, quandoquidem, propterea quod, quoniam, quatenus, & pro quia. Cauſales.

Vergilius. *Audieras, & fama fuit:* pro Nam, vel quia fuit. Quò pro Quia: vt Cicero. *Non quô quicquam deſit, ſed quia ualde cupio.* Ouidius. *Crede mihi bene qui latuit, bene uixit: & intra Fortunam debet quiſque manere ſuam.* pro *nam* vel *quia*.

Alię perfectiuę ſeu abſolutiuę: vt Vti, quô pro vt. Perfectiuæ.

Ne & vt, pro Ne non. Terentius, *Sed patris uim ut queas ferre.* Ne pro Vt non. Cicero. *Opera datur, iudicia ne fiant.*

Alię continuatiuę: ut Si, ſin, ni, niſi. Continuat.

Aliæ dubitatiuæ: ut Ne, an, anne, num, nunquid, utrum, necne Dubitat.

Alię Aduerſatiuæ: ut Etſi, quanquam, quamuis, licet, tametſi. & aliæ id genus. Aduerſatiuæ.

Alię redditiuę earundem: ut Tamen, attamen, ſedtamen, ueruntamen. Redditiuæ.

Aliæ Diminutiuæ: ut Saltem, at, certè, uel: ut Ne *uel latum digitum diſceſſeris.* Diminutiuæ.

Aliæ Electiuæ: ut Quàm, ac, atque, ut, quando pro Quam accipiuntur. Electiuæ.

Aliæ.

Expletiuæ

Expletiuæ: vt Quidem, equidem, nimirum, aurem, scilicet, quoque, nã, profectò, vero, enimuerò, sedenim, enim pro certè. Vergilius. *Nam quis te Iuuenum confidentissime nostras*
Iussit adire domos? Terentius. *At enim, non sinam.*

Cum.

Sunt dictiones quę nunc aduerbia, nũc coniunctiones, nunc præpositiones esse inueniuntur: vt Cum, quoties casui iungitur, præpositio est.

In genere coniunctiones adeò tenui discrimine ab aduerbijs discernuntur, vt quàm sæpissimè confundantur: vt Quando, proinde. & similia.

ORDO.

Ordo coniunctionum est triplex: nempe

Præpositiuus.

Præpositiuus, earum scilicet, quæ in sententiarum exordio ponuntur.

Subiunctiuus.

Subiunctiuus, earum scilicet, quæ secundum in clausula vel tertium, vel ad summum quartum locum occupant.

Cõmunis.

Communis.

Præpositiue.

Ex coniunctionibus hæ in primis præponi solent: Nam, quare, ac, ast, atque, et, aut, vel, nec, neque, si, quin, quatenus, sin, seu, siue, ni, nisi,

Subiunctiuæ quæ?

Subiunctiuæ verò sunt, Quidem, quoque, autẽ, verò, enim.

Enclíticæ

Et tres enclyticę: Que, ne, ve, sic dictæ, quod accentum in prę cedentem syllabam inclinent: vt
Horatius. *Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis:*
Indoctusq; pilæ, discive, trochive quiescit. Sunt & aliæ quoquevoces aliquot enclyticæ: vt Dum, fis, nam, &c.

Communes

Communes denique dicuntur, quæ indifferenter & præponi & postponi possunt, quales sunt reliquæ ferè omnes, præter prædictas: vt Equidem, ergo, igitur, saltem, tamen, quanquam, &c.

DE PRAEPOSITIONE.

PRæpositio est pars orationis indeclinabilis, quæ alijs orationis partibus, vel in Compositione, vel in Appositione præponitur.
Appositione, vt *Christus sedet ad dexteram Patris.*

Compo-

Compositione: vt *Adactum iuramentum adhibendum admonuit.*

Quædam præpositiones postponi suis casibus inueniuntur:

Cum,		Quibuscum.
Tenus,	vt	Pube tenus.
Versus,		Angliam versus.
Vsque,		Ad occidentem usque.

ACCIDENTIA PRAEPOSITIONI.

Præpositioni accidit casuum regimen, siue constructio. *Præpositiones postpositæ suis casibus.*

Cæterum in ijsdem casibus mira est significationis varietas, quæ non tam regulis, quàm assiduo legendi atq; scribendi vsu discenda est. Exempli causa.

Secundum, aliud significat cum dico: *Secundum aurem vulnus accepit.* id est *iuxta aurem.* Aliud verò hic: *Secundum Deum parentes amandi sunt.* id est *Proximè post Deum.* Aliud in hac oratione. *Secundum quietem satis mihi fœlix visus sum.* id est, *in quiete, vel inter quietem.* *Secundum.*

Præpositiones Accusatiuum regentes.

Ex præpositionibus istæ accusatiuo casui adiunguntur.

AD: *Ad calendas Græcas.*

APVD. Vergil. *At benè apud memores veteris stat gratia facti.*

ANTE. Horatius. *-dicique beatus*
Ante obitum nemo, supremáque funera debet.

ADVERSVS. *Ne Hercules quidem aduersus duos.*

CIS. *Cis Thamesim sita est Aetona.*

CITRA. VLTRA. Hora. *Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*
Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.

INTRA. Ouidius. *Crede mihi benè qui latuit benè vixit, & intra*
Fortunam debet quisque manere suam.

EXTRA. Plin. Maior. *Extra omnem ingenij aleam positus Cicero.*

CIRCVM, locale est: vt *Circum montem.*

CIRCA. *Circa forum, Circa viginti annos.*

CIRCITER tempus & numerum significat: vt *Circiter horam decimam.*

Cæsar. *Circiter duo millia desiderati sunt.*

CONTRA. *Ne contra stimulum calces.*

ERGA, *Princeps erga populum clemens.*
INTER Horatius. *Multa cadunt inter calicem, supremaq; labra.*
INFRA Terentius. *Quem ego infra omnes infimum esse puto.*
SVPRA. Salustius. *Dux hostium cum exercitu supra caput est.*
EXTRA. Terentius. *Cum lucubrando iuxta ancillas lanam faceret.*
OB. *Fœda mors, ob oculos uersabatur.*
PER. Horatius. *Impiger extremos currit mercator ad Indos:*
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.
PROPE. *Prope urbem. Prope mortem.*
PRAETER. Terentius. *Ita fugias, ne præter casam.*
PROPTER. *Aliquid mali, propter uicinum malum.*
POST. Horatius. *O ciues ciues, quærenda pecunia primùm est,*
Virtus post nummos.
PENES. Ouidius. *Me penes est unum, uasti custodia mundi.*
TRANS, Horatius. *Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.*

Præpositiones Ablatiuum regentes.

A. Terent. *A me nulla tibi orta est iniuria.*
AB. Hæc vocalibus præponitur. Mimus. *Ab alio expectes, alteri*
quod feceris.
ABS. Ter. *Abs quouis homine beneficiũ accipere cum opus est, gaudeas.*
ABSQVE. Ter. *Absque eo esset. Absque pecunia miserè uiuitur.*
CVM. Mimus. *Damnum appellandum est, cum mala fama lucrum.*
CLAM. *Clam patre.* & Plautus, *Clam patrem.*
CORAM. *Coram senatu res acta est*
DE. *Sophistæ rixantur de lana caprina.*
E, *Qui falsum testimoniũ dixisse cõuictus erat, è saxo Tarpeio deijciebatur.*
Ex malis moribus, bonæ leges natæ sunt.
PRO. Mimus. *Comes facundus in uia, pro uehiculo est.*
PRAE. Terent. *Huic aliquid præ manu dederis.*
Terentius. *Sine Cerere & Baccho, friget Venus.*
TENVS. Verg. - *capuloq; tenus ferrum impulit ira.*

Præpositiones vtrique casui seruientes.

Hæ quatuor, utrunque casum exigunt, sed diuersa ferè significatione.

IN. Ter. *In tempore ueni, quod omnium rerum est primum.* sine motu. Ouid. *Inque domos superas scandere cura fuit.* motum quodammodo

SVB. Verg. *Sub lucem exportant calathis, i. paulo ante lucem.* (innuit. Idem. *Vasto uidisse sub antro.*

SVPER. Vergilius. *Super ripas Tyberis. Fronde super uiridi.*

SVBTER. *Subter terram. Densa subter testudine.* Verg.

Sunt & præpositiones, quæ nunquam extra compositionem inueniuntur, nimirum

Præposit. nunquã extra compo sit. reper.

Am,	} vt	Ambio,	}	{ Re,	} vt	Recipio,
Di,		Diduco,		Se,		Sepono,
Dis,		Distraho,		Con,		Condono.

Con verò, quoties cum dictione à vocali incipiente componitur, amittit n: ut Coagmento, coëmo, coinquino, cooperio.

DE INTERIECTIONE.

INTERIECTIO, est pars orationis quę sub incondita uoce subitò prorũpentem, animi affectũ demonstrat. Tot autem sunt interiectionum significationes, quot animi perturbati sunt motus.

EXVLTANTIS: ut Euax, vah. Plaut. *Euax, iurgio tandem uxorem abegi.*

DOLENTIS: vt Heu, hoi, hei, ò, ah. Terent. *Intro, hoi, hei.* Vergilius. *O dolor atque decus magnum.*

TIMENTIS: Vt Hei, atat. Terent. *Hei, uereor ne quid Andriæ apporiet mali.*

ADMIRANTIS: ut Papè. Terentius. *Pape, noua figura oris.*

VITANTIS: Apagè, apagêsis. Ter. *Apagesis, egon' formidolosus?*

LAVDANTIS: ut Euge. Martialis. *Cito, nequiter, euge, beate.*

VOCANTIS: ut Eho, oh, io. Terent. *O qui uocare?*

DERIDENTIS: ut Hui. Terent. *Hui, tu mihi illam laudas?*

EX improuiso aliquid deprehendentis: ut Atat. Terentius. *Atat, data hercle mihi sunt uerba.*

EXCLAMANTIS: ut Oh, proh, proh nefas. Seneca. *Oh pauper tas fœlix.*

IMPRECANTIS: ut Malùm, Ve malùm. Ter. *Quid hoc (malùm) infœlicitatis est.*

RIDENTIS: vt Ha ha he. Terentius. *Ha ha he, defessa iam misera sum te ridendo.*

SILENTIVM iniungentis: vt Au. Terent. *Au, ne comparandus hic quidem ad illum est.*

Aliæ partes fiunt interiectiones.

Illud hic obseruandum est, nomina quoque & verba quandoque interiectionis loco poni: vt apud Vergilium. *Naubus infandum amissis.* Cicero. *Sed amabo te, cura.* Immò quæuis orationis pars affectum animi inconditum significans, interiectionis vice fungitur.

Atque hæc quidem de octo orationis partium Etymologia, quamlibet crassa (quod aiunt) Minerua, tradita sint pueris, tantisper dum ordinarijs in ludo operis ac pensis sub ferula defunguntur, abundè sufficere arbitramur. Quod si cui tamen adlubescit quicquam his altius exactiusq; peruestigare, hunc ad Grammaticorum euoluenda perscrutandáque opera relegandum censemus: Quorum cùm magnus sit numerus, & quidem egregiè doctorum, nullum tamen nouimus, quem uel propter eruditionis ac doctrinæ præstantiam, uel propter precipiendi claritatem elegantiámq;, Linacro nostro comparari posse uideatur, nedum præponi.

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI AD CHRISTIANVM LVBECensem, de ratione studij, Epistola paræneticа.

CVM TE incredibili quodam ardore literarum flagrare minime dubitarem Christiane non vulgaris amice, hortatore nihil op⁹ esse putaui, sed ei⁹, quam ingressus esses, viæ, duce modò ac tanquam indice, id quod mei officij esse iudicaui, videlicet, vt tibi homini nō modò multis modis copulatissimo, verum etiam iucundissimo, vestigia quib⁹ ipse à puero essem ingressus, commōstrarem. Quę si tu pari cura accipies atq; ego dicturus sum futurum cōfido, vt neque me monuisse, neque te paruisse pœnituerit. Prima igitur cura sit, vt præceptorē tibi deligas quàm eruditissimū. Neque enim fieri potest, vt is rectè quenquā erudiat:

diat, qui sit ipse ineruditus: quem simulatque nactus eris, fac modis omnibus efficias, vt ille patris in te, tu filij vicissim in illum induas affectum. Ad quod quidem cum ipsa honesti ratio nos debet adhortari, (quod non minus debeamus his à quibus rectè viuendi rationem, quàm à quibus viuendi initia sumpsimus) tum mutua ista beneuolentia tantum ad discendum habet momenti, vt frustra sis literarum præceptorem habiturus nisi habueris & amicum. Deinde, vt te illi & attentum & assiduum præbeas. Contentione enim immodica, nonnunquam obruuntur ingenia discentium: assiduitas verò & mediocritate sua perdurat, & quotidianis incrementis maiorem opinione aceruum accumulat. Sacietate cum omnibus in rebus, tum in literis nihil perniciosius. Laxanda est igitur aliquoties illa literarum contentio: Intermissendi lusus, sed liberales, sed literis digni, & ab his nõ minus abhorrentes, immò medijs ipsis studijs perpetua quædam voluptas est intermiscenda, vt ludum potius discendi, quàm laborem existimem⁹. Nihil enim perdiu fieri potest, quod non agentem aliqua voluptate remoretur. Optima quæq; statim ac primum disce. Extremę est dementię, discere dediscenda. Quod in curando stomacho solent præcipere medici, idem tibi in ingenijs seruandum puta. Caue ne aut noxio aut immodico cibo ingeniũ obruas, vtroq; enim iuxta offenditur. Ebrardum, Catholicontem, Brachilogum, cęteros q; id genus, quos percensere neque possum, neque operæ precium est, ijs relinquito, quos barbariem immenso labore discere iuuat. Initio non quã multa, sed quàm bona & quã benè percipias refert. Sed iam rationem accipe, qua possis nõ solum rectiùs, sed etiam facilius discere. Hoc enim in homine artifice præstare solet artis ratio, vt tantundem operis quum rectiùs expeditiusq;, tum leuiùs etiam efficiat. Diem tanquam in operas partire, id quod à Plinio Secũdo, & à Pio Põtifice Max. viris omnium memoria præstantissimis factitatum legimus: Principio, quod caput est, præceptorem interpretantem nõ attentus modò sed & auidus auscultato, non contentꝰ impigrè sequi differentem, aliquoties præuolare contende. Omnia illiꝰ dicta memorię, præcipuè etiam literis mandabis, fidelissimis vo-

Caluisius Sabinus. lege Senec. epistola 22 ad Lucillũ

cum custodibus: quibus rursus ita cõfidas caue, vt diues ille ridiculus apud Senecam, qui sic animum induxerat, vt se tenere crederet, quicquid seruoru quisquam meminisset. Noli cõmittere ut codices habeas eruditos, ipse inerudit⁹. Audita ne effluant, aut apud te aut cum alijs retracta. Nec his cõtent⁹, aliquã temporis partem tacitè cogitationi tribuere memento, quam vnam D. Aurelius tum ingenio, tum memoriæ in primis conducere scripsit. Conflictatio quoque, & tanquam palestra ingeniorum neruos animi præcipuè tum ostendit, tum excitat, tum adauget. Nec scisciture si quid dubitas, nec castigari si quid errabis, sit pudor. Nocturnas lucubrationes atque intempestiua studia fugito, nam & ingeniũ extinguunt, & valetudinem vehementer offendunt. Aurora musis amica est, apta studijs.

Pransus aut lude aut deambula, aut hilaris cõfabulare. Quid quod inter ista quoq; studijs locus esse potest? Cibi, nõ quantũ libidini, sed quantum valetudini satis sit, sumito. Sub cœnam paulisper inambula, cœnatus idem facito. Sub somnum exquisiti quippiam ac dignum memoria legito, de eo cogitantem sopor opprimat, id experrectus à teipso reposcas. Plinianum illud animo semper insideat tuo: Omne perire tempus, quod studio non impertias. Cogita iuuenta nihil esse fugatius: quæ vbi auolarit semel, redit nunquam. Sed iam hortator esse incipio, indicem pollicitus. Tu suauissime Christiane, hanc formam, aut si quam poteris meliorem, sequere, ac benè vale.

DE MODO REPETENDAE LECTIONIS, EODEM ERASMO AVTORE.

QVIBVSDAM prima ac vnica fere cura est, statim ad verbũ ediscere: quod equidem non probo. est enim tum magni laboris, tum fructus propè nullius. Quorsum enim attinet, psitaci more verba non intellecta reddere? Commodiorem igitur viam accipe. Lectionem quidem auditam, continuò relege, ita vt vniuersam sententiam paulò altius animo infigas: deinde à calce rursus ad caput redibis, & singula verba excutere incipies, ea duntaxat inquirens, quæ ad Grammaticam curam

ram attinẽt, videlicet, si quod verbum obscurum, aut ancipitis derivationis, si heteroclitę coniugationis, quod supinum, quod præteritum faciat: quos habeat maiores, quos nepotes, quam constructionem, quid significet, & huiusmodi nonnulla.

Hoc vbi egeris, rursum de integro percurrito, ea iam potissimùm inquirens, quæ ad artificium Rhethoricum spectant. Si quid venustius, si quid elegantius, si quid concinnius dictum videbitur, annotabis indice, aut asterisco apposito.

Verborum compositionem inspicies, orationis decora scrutabere, authoris consiliũ indagabis, qua quicque ratione dixerit. Vbi quid te delectauerit vehementius, caue præter casam (quod aiunt) fugias. Fige pedem, ac abs teipso rationem exige, quare tantopere sis ea oratione delectatus, cur non ex cæteris quoq; parem cœperis voluptatem, Inuenies te acumine aut ex ornatione aliqua oratoria, aut compositionis harmonia, aut (ne omnia persequar) simili quapiam causa commotum fuisse.

Quod si aliquod adagiũ, si qua sententia, si quod prouerbiũ vetus, si qua historia, si qua fabula, si qua similitudo non inepta, si quid breuiter acutè, aut alioqui ingeniosè dictum esse videbitur, id tanquã thesaurum quendam animo diligenter reponendum, ducito ad vsum & ad imitationem. His diligenter curatis, ne pigeat quarto iterare. Nam hoc habent eruditorum virorũ summo ingenio, summis vigilijs elucubrata scripta, vt millies relecta, magis magisq; placeant, semperq; admiratori suo nouum miraculum ostendant. Id quod tibi in fabula tua sæpenumerò, nec sine causa laudata, euenire solet, quod antea nõ animaduertisses, idem tibi multò amplius in bonis auctoribus eueniet. Releges iterum quartò, ac quę ad philosophiã, maximè verò Ethicen referri posse videantur, circumspicies si quod exemplum, quod moribus accomodari possit. Quid autem est ex quo non vel exemplum viuendi, vel imago quędam, uel occasio sumi queat? Nam in aliorum pulchrè ac turpiter factis, quid deceat, quid non, iuxta videmus. Hęc si facies, iam vel edi disceris, quanquam aliud egisti. Tum demùm si libet, ad ediscendi laborem accedito, qui tum aut nullus erit, aut certè perquàm exiguꝰ. Quid deinde? Restat, vt cum studiosis congredi-

aris, tuas annotationes in medium proferas, viciſsimq; illorũ audias. Alia laudabis, alia reprehendes: tua partim defendes, partim caſtigari permittes. Poſtremò, quod in aliis laudaſti, tuis in ſcriptis imitari conaberis.

Secreta ſtudia à doctis laudantur, at ita, vt poſtea è latebris in arenam prodeamus, viriúmque noſtrarum periculum faciamus. Id quod ſapientiſſimè à Socrate eſt dictum. Experiamur utrum partus ingeniorum vitales ſint: nimirum obſtetricum induſtriam imitati. Quare alternatim vtriſque vtetur, qui non vulgariter volet euadere doctus.

VALE.

DE CONSTRVCTIONE octo partium Orationis.

ATQVE DE OCTO quidem orationis partibus, earúmque ſpecibus, quatenus ad Etymologiam attinet, hactenus dictum eſto: deinceps de eiſdem, quatenus ad Sintaxim, quę Conſtructio dicitur, agemus.

Cõſtructio quid ſit.

Eſt igitur Sintaxis debita partium orationis inter ſe compoſitio connexioq;, iuxta rectam Grammatices rationem. Ea verò eſt, qua veterũ probatiſsimi tum in ſcribendo, tum in loquendo ſunt vſi.

Cõcordantia Grammatices.

Cæterum, priuſquam de partium orationis ſtructura ſingulatim pertractemus, quædam in genere de tribus grammaticæ concordantijs ſunt paucis ediſſerenda.

CONCORDANTIA NOminatiui & Verbi.

VErbum perſonale cohæret cum nominatiuo in numero & perſona: ut *Nunquam ſera eſt ad bonos mores uia. Fortuna nunquam perpetuò eſt bona.*

Prima cõcordantia.

Nominatiuus primę vel ſecundę perſonę rariſsimè exprimitur, niſi cauſa diſcretionis: vt *Vos damnaſtis*, quaſi dicat, præterea nemo: aut emphaſis gratia: vt Terentius. *Tu es patronus,*

tu

tu pater, si deseris tu, perimus. quasi dicat, præcipuè & præ alijs tu patronus es. Ouidius. *Tu dominus, tu uir, tu mihi frater eris.*

In verbis, quorum significatio ad homines tantùm pertinet, tertiæ personæ nominatiuus sæpè subauditur: vt est, fertur, dicunt, ferunt, aiunt, prædicant, clamitant, & in similibus: vt Terentius. *Fertur atrocia flagitia designasse.*
Ouidius. *Tequé ferunt iræ pœnituisse tuæ.*

Non semper vox casualis est verbo nominatiuus, sed aliquãdo verbum infinitum: vt *Mentiri non est meum.* Plautus.
Aliquando oratio: vt Ouidius.
Adde quod ingenuas, didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Aliquando aduerbium cum genitiuo: vt *Partim uirorum ceciderunt in bello. Partim signorum sunt combusta.*

EXCEPTIO PRIMA.

Verba infiniti modi, pro nominatiuo, accusatiuum ante se statuunt: vt *Te redijsse incolumem, gaudeo. Te fabulam agere, uolo.*

Resolui potest hic modus per quòd & vt, ad hunc modum: *Quòd tu redijsti incolumis, gaudeo. Vt tu fabulam agas, uolo.*

Verbum inter duos nominatiuos, diuersorum numerorum positum, cum alterutro conuenire potest: ut
Terent. *Amantium iræ, amoris redintegratio est.*
Ouid. *-quid enim nisi uota supersunt?*
Idem. *Pectora percussit, pectus quoque robora fiunt.*
Vergilius. *-nihil hic nisi carmina desunt.*

EXCEPTIO SECVNDA.

Impersonalia, præcedentem nominatiuum non habent: vt *Tædet me uitæ. Pertæsum est coniugij.* de quibus in suo loco.

Nomen multitudinis singulare, quandoque verbo plurali iungitur: vt *Pars abiere. Vterque deluduntur dolis.*

CONCORDANTIA SVBstantiui & Adiectiui.

ADiectiuum cum Substantiuo, genere, numero & casu cõsentit: vt Iuuenalis. *Rara auis in terris, nigróque simillima cygno.*

Ad eundem modum participia & pronomina, Substantiuis adnectuntur: vt Ouidius,

Donec eris fœlix multos numerabis amicos.
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Seneca. *Non hoc primùm pectora uulnus mea senserunt, grauiora tuli.*

Aliquando oratio supplet locum substantiui: vt

Audito regem Doroborniam proficiscì.

CONCORDANTIA RELA-
tiui & Antecedentis.

Tertia cõcordantia.

RElatiuum cum Antecedente, concordat genere, numero & persona: vt *-uir bonus est quis?*
Qui consulta patrum, qui leges, iuraque seruat.

Nec unica vox solùm, sed interdum etiam oratio ponitur pro Antecedente: vt

Terentius. *In tempore uenii, quod omnium rerum est primum.*

Nota. Relatiuum inter antecedentia, diuersorum generum collocatum, nunc cum priore conuenit: vt Val. Max.

Senatus assiduam stationem eo loci peragebat, qui hodie Senaculum appellatur. *Non procul ab eo flumine, quod Saliam uocant.*

Cicero. *Propiùs à terra Iouis stella fertur, quæ Phaëton dicitur.*

Nunc cum posteriore: vt Cicero. *Homines tuentur illum globum, quæ terra dicitur.* *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur.* *In coitu lunæ, quod Interlunium uocant.*

Aliquando relatiuum, aliquando & nomen adiectiuum respondet primitiuo, quod in possessiuo intelligitur: vt,

Terentius. *Omnes omnia bona dicere, & laudare fortunas meas, qui filium haberem tali ingenio præditum.*

Ouidius. *Nostros uidisti flentis ocellos.*

Quoties nullus nominatiuus interseritur inter relatiuum & Verbum, relatiuum erit verbo nominatiuus: ut

Boëtius. *Fœlix qui potuit boni*
Fontem uiscere lucidum.

Casus Relatiui. At si nominatiuus relatiuo & verbo interponatur, relatiuum regetur à verbo, aut ab alia dictione, quę cum uerbo in oratione locatur: vt Ouidius. *Gratia ab officio quod mora tardat abest.*

Vergili-

Vergilius. *Cuius numen adoro. Quorum optimum ego habeo. Cui similem non uidi. Quo dignum te iudicaui. Quo melius nemo scribit. Quem uidendo obstupuit. Lego Vergilium, præ quo cæteri poëtæ sordent. &c.*

SVBSTANTIVORVM CONstructio.

QVum duo substantiua, diuersæ significationis sic concurrunt, vt posterius à priore possideri quodam modo videatur, tum posterius in genitiuo ponitur: vt Iuuenal. *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Rex pater patriæ. Arma Achillis. Cultor agri.* *Genitiuus substantiui.*

Proinde hic genitiuus sæpissimè adiectiuum in possessiuum mutatur: vt Patris dom⁹, Paterna dom⁹. Heri fili⁹, Herilis fili⁹.

Est etiam vbi in datiuum vertitur; ut

Luca. de Cat. *Vrbi pater est, urbiq; maritus. Herus tibi, mihi pater.*

EXCEPTIO.

Excipiuntur quæ in eodem casu per Appositionem connectuntur: vt *Effodiuntur opes, irritamenta malorum.* *Appositio.*

Vergilius. *Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.*

Adiectiuum in neutro genere absolutè, hoc est absque substantiuo positum, aliquando genitiuum postulat: ut *Paululum pecuniæ. Hoc noctis.* Catul. *Non uidemus manticæ quod in tergo est.*

Iuuenalis. *Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,*
Tantum habet & fidei.

Ponitur interdum genitiuus tantùm, nempe priore substātiuo per Eclipsim subaudito: vt in huiusmodi locutionibus.

Terentius. *Vbi ad Dianæ ueneris, ito ad dexteram. Ventum erat ad Vestæ.* vtrobique subauditur Templum.

Vergilius. *Hectoris Andromachæ.* subauditur *uxor.*

Idem. *Deiphobe Glauci.* subauditur *filia.* Terent. *Huius uideo Byrrhiam.* subaudi *seruum.*

LAVS ET VITVPERIVM.

Laus & vituperium rei, varijs modis effertur, at frequentiùs in ablatiuo vel genitiuo: vt *Vir nulla fide.*

Ouidius. *Ingenui uultus puer, ingenuique pudoris.*

OPVS

Edoceridum nostrum exiuua sæpe, summaq; nobilitate, principem fac erudiao.

o

obstaua veneris nobilis

OPVS ET VSVS.

Opus & vſus ablatiuum exigunt: vt Cicero. *Authoritate tua nobis opus eſt.* Gellius. *Pecuniam qua ſibi nihil eſſet uſus, ab iis quibus ſciret uſui eſſe non accepit.*

Opus autem adiectiuè, pro neceſſarius quandoq; poni videtur, varieq; conſtruitur. Cicero. *Dux nobis & autor opus eſt.* Idem. *Dicis nummos mihi opus eſſe ad apparatum triumphi.* Terentius. *Alia quæ opus ſunt, para.* Cicero. *Sulpitij operam intelligo ex tuis literis, tibi multum opus non fuiſſe.*

ADIECTIVORVM CONſtructio. GENITIVVS.

Adiectiua, quę deſiderium, notitiam, memoriam, atq; ijs contraria ſignificant, genitiuum adſciſcunt: ut Plinius. *Eſt natura hominum nouitatis auida.*
Vergilius. *Mens futuri præſcia.* Idem. *Memor eſto breuis æui.*
Terentius. *Imperitos rerum, eductos liberè, in fraudem illicis.*
Sillius. *Non ſum animi dubius, ſed deuius æqui.*
Cicero. *Græcarum literarum rudis.*

Adiectiua verbalia in ax, etiam in genitiuum feruntur: vt *Audax ingenij.* Ouidius. *Tempus edax rerum.* Seneca. *Virtus eſt uitiorum fugax.* Horatius. *Vtilium ſagax.* Idem. *Propoſiti tenax.* Vergilius. *Tam ficti pranig; tenax, quàm nuntia ueri.* Plaut. *Pecuniarum petax.* &c.

Ingens præterea adiectiuorum turba, nullis certis regulis obſtricta, caſum patrium poſtulant, Quorum farraginem ſatis quidem amplam, congeſſerunt Linacrus & Deſpauterius. Tu uerò crebra lectione ea tibi reddes admodum familiaria.

Nomina partitiua aut partitiuè poſita, Interrogatiua quædam & certa numeralia, genitiuo, à quo & genus mutuantur, gaudent: vt Cice. *Quanquam te Marce fili, annum iam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet præceptis inſtitutisq; philoſophiæ, propter ſummã & doctoris autoritatem & urbis, quorum alter te ſcientia augere poteſt, altera exemplis.* &c. *Vtrum horum mauis accipe.*
Tibullus. *Quiſquis ille fuit deorum.*
Terentius. *An quiſquam hominum eſt æquè miſer ut ego?*
Vergilius. *-diuûm promittere nemo Auderet.*

Tres fratrum: Quatuor iudicum. Sapientum octauus quis fuerit, nondum cõstat. Primus regum Romanorum fuit Romulus.

In alio tamen sensu, ablatiuum exigunt cum præpositione: vt *Primus ab Hercule. Tertius ab Aenea.*

In alio verò sensu datiuum: ut Vergil. *-nulli pietate secundus.* Nom. uari a constructio.

Vsurpantur autem & cum his præpositionibus: E, de, ex, inter, ante: vt Ouidius. *Est Deus è nobis alter.*
Idem. *Solus de superis.* Vergilius. *Primus inter omnes.*
Idem. *Primus ibi ante omnes, magna comitante caterua*
Laocoon ardens, summa decurrit ab arce.

Interrogatiuum & eius redditiuum, eiusdem casus & temporis erunt: vt, *Quarum rerum nulla est satietas? Diuitiarum.* Interrogatiuum.
Quid rerum nunc geritur in Anglia? Consulitur de religione.

Fallit hæc regula, quoties interrogatio fit per cuius, ia, ium: vt, *Cuium pecus? Laniorum.* Aut per dictionem variæ syntaxeos: vt, *Furtine accusas, an homicidij, an utroque?*

Fallit denique cum per possessiua Meus, tuus, suus, &c. respondendum est: vt, *Cuius est hic codex? Meus.* Exceptio.

Comparatiua & superlatiua, accepta partitiuè, genitiuum vnde & genus sortiuntur, exigunt Comparatiuum autem ad duo, superlatiuum ad plura refertur: vt *Manuum fortior est dextera. Digitorum medius est longissimus.* Accipiuntur autem partitiuè, cum per E, ex, aut inter, exponuntur: vt, *Vergillius poëtarum doctissimus.* id est, ex poëtis, vel inter poëtas.

Comparatiua, cum exponuntur per Quàm, ablatiuum ad sciscunt: vt Horatius. *Vilius argentum est auro, uirtutibus aurem.* id est, *quam aurum quàm uirtutes.* Adsciscunt & alterum ablatiuum qui mensuram excessus significat: vt, Comparatiua & superlatiua.
Cicero. *Quantò doctior es, tanto te geras submissius.*

Tantò. quantò, multò, longè, ætate, natu, vtriq; gradui apponuntur: vt Catull. ad Cicer. *Tanto pessimus omnium poëta,*
Quanto tu optimus omnium patronus.
Erasmus. *Nocturnæ lucubrationes longè periculosissimæ habentur.*
Longè cæteris peritior es, sed non multo melior tamen.
Iuuenalis. *Omne animi uitium tanto conspectius in se*
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Maior

Maior & maximus ætate. Maior & maximus natu.

DATIVVS.

Commodũ & incommodum.

Adiectiua, quibus commodum, incommodum, similitudo, dissimilitudo, uoluptas, summissio, aut relatio ad aliquid significatur, in datiuum transeunt: vt Verg. *Sis bonus ô sælix q; tuis.* Mar. *Turba grauis paci, placidæq; inimica quieti.* *Est finitimus oratori poëta.* Ouidius. *Qui color albus erat, nunc est contrarius albo.* Martialis. *Iucundus amicis. Omnibus supplex.* Horatius. *Si facis ut patriæ sit idoneus utilis agro!*

Composita cum con. similitudo.

Huc referuntur adiectiua ex con præpositione composita: ut Contubernalis, commilito, conseruus, cognatus. &c.

Quædam ex his quæ similitudinem significant, etiam genitiuo gaudent: vt Lucanus. *Quem metuis, par huius erat.* Terentius. *Patres æquum esse censent, nos iam iam à pueris illico nasci senes, neque illarum affines esse rerum, quas fert adolescentia.* Idem. *Domini similis es.* Ausonius. *Mens conscia recti.* Vergilius. *Præterea Regina tui fidissima dextra, Occidit ipsa sua.*

Varia construct. quorundam adiectiuorum

Communis, alienus, immunis, variis casibus seruiunt: ut Cicero. *Commune animantium omnium est, coniunctionis appetitus procreandi causa. Mors omnibus communis. Hoc mihi tecum commune est.* Salustius. *Non aliena consilij.* Seneca. *Alienus ambitioni.* Cicero. *Non alienus à Sceuolæ studijs.* Ouidius. *-uobis immunibus huius Esse mali dabitur.* Plinius. *Caprificus omnibus immunis est. Immunes ab illis malis sumus.* NATVS, commodus, incommodus, vtilis, inutilis, vehemens, aptus, interdum etiam accusatiuo cum præpositione adiungitur: ut Cicero. *Natus ad gloriam.*

In Bilis & dus.

Verbalia in bilis, accepta passiuè: ut & participia, seu potiùs participialia in dus, datiuo adiecto gaudent: ut, Statius. *-nulli penetrabilis astro Lucus erat.* Martialis. *O mihi post nullos, Iuli memorande sodales.*

ACCVSATIVVS.

Mensura.

Magnitudinis mensura, subñcitur adiectiuis in accusatiuo: ut *Gnomon septem pedes longus, umbram non amplius quatuor pedes longam reddit.* Interdum & in ablatiuo: ut, Columella. *Fons latus pedibus tribus, altus triginta.*

Interdum

Interdum etiam & genitiuo: vt Colum. *In morem horti areas latas pedum denûm, longas pedum quinquagenûm facito.*

ABLATIVVS.

Adiectiua, quæ ad copiam, ægestatémue pertinent, interdũ ablatiuo, interdum & genitiuo gaudent: vt Copia & inopia.

Plautus. *Amor & melle & felle est fœcundissimus.*
Horatius. *Dives agris, dives positis in fœnore nummis.*
Vergilius. *At fessæ, multa referunt se nocte minores, Crura thymo plena.*
Idem. *Quæ regio in terris nostri non plena laboris?*
Idem. *Dives opum, dives pictai uestis & auri.*
Persius, *O curuæ in terras animæ, & celestium inanes.*
Expers fraudis. Gratiæ beatus.

Nomina diuersitatis, ablatiuum sibi cum præpositione subiiciunt: vt Vergilius. *Alter ab illo. Aliud ab hoc. Diuersus ab isto.* Diuersitas. Nonnunquam etiam datiuum: vt *Huic diuersum.*

Adiectiua regunt ablatiuum significantem causam: vt *Pallidus ira. Incuruus senectute. Liuida armis brachia. Trepidus morte futura.*

Forma vel modus rei, adiicitur nominibus in ablatiuo: vt Modus rei. *Facies miris modis pallida. Nomine grammaticus, re barbarus.*

Cicero. *Sum tibi natura parens, præceptor consilijs.*
Vergilius. *Troianus origine Cæsar. Spe dives, re pauper. Syrus natione.*

Dignus indignus, præditus, captus, contentus, extorris, auferendi casum adiectum volunt: vt, Dignus. &c.

Terentius. *Dignus es odio, Qui filium haberem tali ingenio præditum.*
Vergilius. *Atque oculis capti fodere cubilia talpæ.*
Idem. *Sorte tua contentus abi.*

Horum nonnulla genitiuum interdum vendicant: vt
Ouidius. *Militia est operis altera digna tui.*
Vergilius. *Descendam magnorum haud quaquam indignus auorum.*

PRONOMINVM CONstructio.

MEi, tui, sui, nostri, vestri, genitiui primitiuorum, ponuntur cùm passio significatur: vt Primitiua pronomina. *Languet desiderio tui.*

Ouidius. *Parsq; tui latitat corpore clausa meo. Imago nostri.*

Meus, tuus, suus, noster, vester, adiiciuntur cum actio vel

possessio.

possessio rei denotatur: vt *Fauet desiderio tuo. Imago nostra.* Id est, *quam nos possidemus.*

Deriuata Pronomina — Nostrûm & vestrûm genitiui, sequuntur distributiua, Partitiua, Comparatiua & Superlatiua: vt,

Vnusquisque uestrûm. Nemo nostrûm. Ne cui uestrûm sit mirum. Maior uestrûm. Maximus natu nostrûm.

Possessiua pronomina — Hęc possessiua, meus, tuus, suus, noster & uester, hos genitiuos post se recipiunt: Ipsius, solius, vnius, duorum, trium, &c. omnium, plurium, paucorum, cuiusque: & genitiuos participiorum, quæ ad genitiuum primitiui in possessiuo inclusum referuntur: vt *Ex tuo ipsius animo coniecturam feceris.*

Cicero. *Dico mea unius opera rempublicam esse liberatam.*

Idem. *Meum solius peccatum corrigi non potest.*

Erasmus. *Noster duorum euentus ostendat, utra gens sit melior. In sua cuiusque laude præstantior. Nostra omnium memoria.*

Brutus ad Ciceronem. *Vestris paucorum respondet laudibus.*

Horatius. *-scripta Cum mea nemo legat, uulgo recitare timetis.*

Reciproca — Sui & suus, reciproca sunt, hoc est, semper reflectuntur ad id quod præcessit in eadem oratione: vt,

Petrus nimium admiratur se. Parcit erroribus suis.

Aut annexa per copulam: vt *Magnopere Petrus rogat, ne se deseras. Cicero reminiscitur clientum suorum.*

Ipse. — Ipse, ex pronominibus solum trium personarum significationem repræsentat: ut *Ipse uidi, Ipse uideris, Ipse dixit.* Et nominibus pariter ac pronominibus adiungitur: vt, *Ipse ego Ipse ille. Ipse Hercules.*

Idem. — Idem, etiam omnibus personis iungi potest: ut, *Ego idem adsum.* Terentius. *Idem has nuptias perge facere.*

Vergilius. *-idem iungat uulpes, & mulgeat hyrcos.*

Demonst. — Hæc demonstratiua, Hic, ille, iste, sic distinguuntur.

Hic mihi proximum demonstrat: Iste eum qui apud te est. Ille eum qui ab vtroque remotus est, indicat.

Ille & iste. — Ille, tum vsurpatur, cum ob eminentiam rem quãpiam demonstramus: vt, *Alexander ille magnus.* Iste verò ponitur, quando cum contemptu rei alicuius mentionem facimus: vt, Terent. *Istum æmulum quoad poteris, ab ea pellito.*

Hic

ABLATIVVS POST VERBVM.

QVoduis verbum admittit ablatiuum significantem instruumentm, aut causam, aut modum actionis.

INSTRVMENTVM.

Vt, Dæmona non armis, sed morte subegit Iesus.
Horat. Naturam expellas furca licet, usque recurret.
Vergilius. Hi iaculis, illi certant defendere saxis.

CAVSA.

Terent. Gaudeo (ita me dij ament) gnati causa. Vehementer ira exeanduit.
Horatius. Inuidus alterius rebus, macrescit opimis.

MODVS ACTIONIS.

Mira celeritate rem peregit.
Iuuen. Inuigilate uiri, tacito nam tempora gressu
Diffugiunt, nullóque sono conuertitur annus.
Ouidius. Dum uires annique sinunt, tolerate laborem.
Iam ueniet tacito curua senecta pede.

Ablatiuo causę & modi actionis, aliquando additur prępositio: vt Baccharis præ ebrietate. Summa cum humanitate tractauit hominem.

Quibuslibet uerbis subiicitur nomen precij in ablatiuo casu: vt Teruntio, seu uitiosa nuce, non emerim. Nomen precij.
Liuius. Multo sanguine ac uulneribus ea uictoria stetit.

Vili, paulo, minimo, magno, nimio, plurimo, dimidio, duplo, adiiciuntur sæpè sine substantiuis: vt Vili, &c.
Terentius. Redime te captum quàm queas minimo. Vili uenit triticum.
Seneca. Constat paruo fames, magno fastidium.

Excipiuntur hi genitiui sine substantiuis positi, Tanti, quãti, pluris, minoris, tantiuis, tantidem, quantilibet, quanticunque: vt Cicero. Tanti eris alijs, quanti tibi fueris. Non uendo pluris quàm alij, fortasse etiam minoris. Exceptio.
Ouidius. Vix Priamus tanti, totáq; Troia fuit.

Sin addantur substantiua, in ablatiuo efferuntur: vt
Aul. Gel. Tanta mercede docuit, quanta hactenus nemo.
Minori precio uendidi, quàm emi.

Valeo, etiam interdum cum accusatiuo iunctum reperitur: vt Valeo

Varro. Denarij dicti, quod denos æris ualebant: quinarij, quod quinos.

Verba abundandi.

Verba abundandi, implendi, onerandi, & his diuersa, ablatiuo gaudent: vt Terentius. Amore abundas Antipho.

Malo uirum pecunia, quam pecuniam uiro indigentem.

Salustius. Sylla omnes suos diuitijs expleuit.

Terentius. Hoc te crimine expedi.

Cicero. Homines nequissimi, quibus te onerant mendatijs?

Vergilius. - ego hoc te fasce leuabo.

Salustius. Aliquem familiarem suo sermone participauit.

Ex quibus quædam nonnunquam etiam in genitiuū feruntur vt Verg. Quam diues niuei pecoris, quam lactis abundans.

Terentius. Quasi tu huius indigeas patris.

Quid est quod in hac causa defensionis egeat?

Vergilius. Implentur ueteris Bacchi, pinguisq; ferinæ.

Idem. Postquam dextera fuit cædis saturata.

Cicero. Omnes mihi labores leues fuere, præterquam tui carendum. quod erat. Paternum seruum sui participauit consilij.

Fungor.

Fungor, fruor, vtor, & similia, ablatiuo iunguntur.

Cicero. Qui adipisci ueram gloriam uolunt, iustitiæ fungantur officijs. Optimum est aliena frui insania. In re mala, animo si bono utare, iuuat.

Vergilius. Aspice uenturo, lætentur ut omnia seclo.

Cæsar. Qui sua uictoria tam insolenter gloriarentur.

Horatius. Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis. Vescor carnibus.

Vergilius. - haud equidem tali me dignor honore.

Terentius. Vt malis gaudeat alienis?

Plautus. Exemplorum multitudine supersedendum est.

Macrobius. Regni eum societate munerauit.

Plautus. Communicabo te semper mensa mea.

Prosequor.

Prosequor te amore, laude, honore, &c. i. amo, laudo, honoro.

Afficio.

Afficio te gaudio, supplicio, dolore, id est exhilaro, punio, contristo.

Mereor.

Mereor, cum aduerbijs benè, malè, melius, peis, optimè, pessime, ablatiuo adhæret cum præpositione De: vt

De me nunquam bene meritus es.

Erasmus de lingua latina optimè meritus est. Catilina pessimè de republica meruit.

Quædam

Quædam accipiendi, distandi, & auferendi verba, ablatiuum cum præpositione optant: vt *Istuc ex multis iam pridem audiueram.* *Luca. A trepido uix abstinet ira magistro. Nasci à principibus fortuitũ est. Procul abest ab urbe Imperator.* Verba accipiendi.

Vertitur hic ablatiuus aliquando in datiuum: vt
Horatius. *Viuere si rectè nescis, discede peritis.*
Ouidius. *Est uirtus placitis abstinuisse bonis.*
Vergilius. *Heu fuge nate dea, teque his (ait) eripe flammis.*

VERBIS quæ vim comparationis obtinent, adiicitur ablatiuus, significans mensuram excessus: vt *Deforme existimabat, quos dignitate præstaret, ab ijs uirtutibus superari.* Verba comparandi.

QVIBVSLIBET verbis additur ablatiuus absolute sumptus: vt *Imperante Augusto, natus est Cristus: Imperante Tyberio, crucifixus.* Iuuenalis. *Credo pudicitiam Saturno rege moratam In terris.* Ablat absolutus.

Nil desperandum Christo duce, & auspice Christo.
Iam Maria audito Christum uenisse, cucurrit.

VERBIS quibusdam additur auferendi casus per Synecdochen, & poëtice accusatiuus: vt *Aegrotat animo magis quàm corpore*
Candet dentes. Rubet capillos. Synecdoche

Quædam tamen efferuntur in gignendi casu: vt, *Absurde facis, qui angas te animi. Exanimatus pendet animi. Desipiebam mentis.*
Plaut. *Discrutior animi, quia ab domo abeundum est mihi.*

Eidem verbo diuersi casus, diuersæ rationis apponi possunt: vt *Dedit mihi uestem pignori, te præsente, propria manu.* Diuersi casus.

Passiuis additur ablatiu⁹ agentis, sed antecedẽte prępositione:
Horatius. *laudatur ab his, culpatur ab illis.*
Cicero. *Honesta bonis uiris non occulta petuntur.*

Quorum participia frequentius datiuo gaudent: vt
Vergilius. *Nulla tuarum audita mihi neque uisa sororum.*
Horatius. *Oblitusque meorum obliuiscendus & illis.*

Cęteri casus manent in passiuis, qui fuerunt actiuorum: vt *Accusaris à me furti. Habeberis ludibrio. Dedoceberis à me istos mores. Priuaberis magistratu.*

VAPVLO, væneo, liceo, exulo, fio, neutropassiua, passiuam constructionem habent: ut *A præceptore uapulabis. Malo à ciue spoliari, quàm ab hoste uenire. Quid fiet ab illo. Virtus paruo precio licet omnibus.* Construct. neutropass.

mibus. *Cur à conuiuijs exulat philosophia?*

Quibusdam tum verbis, tum adiectiuis, familiariter subijciuntur verba infinita: vt

Vergilius. *-iuuat usque morari Et conferre gradum.*

Ouid. *Dicere quæ puduit, scribere iussit amor.*

Martialis. *Vis fieri dives Pontice? nil cupias.*

Vergilius. *- & erat tum dignus amari.*

Horatius. *Audax omnia perpeti. Gens humana ruit per uetitum nefas.*

Ponuntur interdum figuratè & absolutè verba infinita: vt *Hæccine fieri flagitia?* subauditur decet, oportet, par est, æquum est: aut aliquid simile.

Vergilius. *Crinitibus terrere nouis, hinc spargere uoces In uulgum ambiguas, & quærere conscius arma*, id est, *terrebat, spargebat, quærebat.*

DE GERVNDIIS.

GErundia siue Gerundiuæ voces, & supina, regunt casus suorum verborum: ut Cicer. *Efferor studio uidendi parentes.*

Ouidius. *Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas.*

Verg. *-scitatum oracula Phœbi Mittimus.*

Di. Gerundia in Di, pendent à quibusdam tum substantiuis, tum adiectiuis: vt Verg. *Et quæ tanta fuit Romam tibi causa uidendi?*

Idem. *Secropias innatus apes, amor urget habendi.*

Idem. *Aeneas celsa in puppi, iam certus eundi.*

Nota. Poëticè infinitus modus loco gerundij ponitur: vt

Vergilius. *-studium quibus arua tueri. Peritus medicari.*

Interdum non inuenustè adijcitur gerundij vocibus etiam genitiuus pluralis: vt

Quum illorum uidendi gratia me in forum contulissem.

Terentius. *Date crescendi copiam nouarum.*

Concessa est diripiendi pomorum atque obsoniorum licentia.

Do. Gerundia in Do, pendent ab his præpositionibus: A, ab, abs, de, e, ex, cum, in, pro: vt Cice. *Ignaui à discendo, citò deterrentur. Amor & amicitia, utrunque ab amando dictum est.*

Cicero. *Ex defendendo, quàm ex accusando uberior gloria comparatur. Consultatur de transcundo in Galliam.*

manus. *Rectè scribendi ratio, cum loquendo coniuncta est.*
lautus. *Pro uapulando, ab hoste mercedem petam.*

Ponuntur & absque præpositione: vt

Vergil. *-alitur uitium, crescitque tegendo. Scribendo disces scribere.*

Gerundia in dum, pendent ab his præpositionibus: Inter, ante, ad, ob, propter: vt *Inter cœnandum, bilares este.* Dum.

Vergilius, *-ante domandum Ingentes tollent animos.*

Cicero. *Locus ad agendum amplissimus.*

Idem. *Ob absoluendum, munus ne acceperis. Veni propter te redimendum.*

Cum significatur necessitas, ponuntur citra præpositionem, addito uerbo Est. Iuue. *Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano. Vigilandum est ei, qui cupit uincere.*

Vertuntur gerundi voces in nomina adiectiua: ut Gerundia in nomina uertuntur.

Vergilius. *Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.*

Ad accusandos homines duci præmio, proximum latrocinio est.

Cur adeo delectaris criminibus inferendis?

DE SVPINIS. VM.

VM.

Prius supinum actiuè significat, & sequitur uerbum aut participium, significans motum ad locum: vt

Ouidius. *Spectatum ueniunt, ueniunt spectentur ut ipsæ.*

Milites sunt missi speculatum arcem.

Illa uerò, Do uænum, Do filiam nuptum, latentem habent motum. At hoc supinum in neutropassiuis, & cum infinito iri, passiuè significat: vt Plaut. *Coctum ego, non uapulatum, dudum conductus sum.* Terentius. *Postquam audierat non datum iri uxorem filio.* Poëticè dicunt, Eo uisere. Vado uidere.

Ponitur & absolute cum uerbo Est: ut Nota.

Terentius. *Actum est, ilicet, peristi.*

Ouidius. *Itum est in uiscera terræ. Cessatum est satis.*

Posterius supinum passiue significat, & sequitur nomina adiectiua: ut V.

Sum extra noxam, sed non est facile purgatu.

Quod factu fœdum est, idem est & dictu turpe.

Qui pecunia non mouetur, hunc dignum spectatu arbitramur.

In istis uerò, *Surgit cubitu, Redit uenatu:* Cubitu & uenatu, nomina potiùs censenda uidentur, quàm supina.

De

DE TEMPORE ET LOC

Tempus.

Pars temporis.

QVæ significant partem temporis, in ablatiuo frequentius vsurpantur, in accusatiuo rarò: vt *Nemo mortalium omnibus horis sapit. Nocte latent mendæ. Id tempus creatus est consul.* Quanquam hęc eclipsis videtur esse prępositionis Per, vel sub.

Duratio temporis.

Quæ autem durationem temporis, & continuationem denotant, in accusatiuo, interdum & ablatiuo efferuntur: vt Vergilius. *Hic iam ter centum totos regnabitur annos.*
Idem. *Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.*
Idem. *Hic tamen hac mecum poteris requiescere nocte.*
Suetonius. *Imperauit triennio & decem mensibus, octoq; diebus.*
Dicimus etiam, *In paucis diebus, De die, De nocte. Promitto in diem. Commodo in mensem. Annos ad quinquaginta natus. Per tres annos studia. Puer id ætatis. Non plus triduum, aut triduo.*
Tertio, uel ad tertium calendas, vel *calendarum.*

SPACIVM LOCI.

Spaciũ loci in accusatiuo effertur, interdum & in ablatiuo: vt Vergilius. *Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)*
Treis pateat cœli spacium non amplius ulnas.
Iam mille passus processeram. Abest bidui, subintelligitur spacium vel spacio; itinere vel iter. *Abest ab urbe quingentis passuum millibus.*

APPELLATIVA LOCORVM.

Nomina appellatiua, & nomina maiorum locorum, addũtur ferè cum præpositione, verbis significantibus in loco, ad locum, à loco, aut per locum: vt *In foro uersatur. Meruit sub rege in Gallia.* Vergilius. *-ad templum non æquæ Palladis ibant Iliades.*
Salustius. *Legantur in Hispaniam maiores natu nobiles.*
E Sicilia decedens, Rhodum ueni. Per mare ibis ad Indos.

Loca propria.

Omne verbum admittit genitiuum proprij nominis loci, in quo fit actio, modò primæ vel secũdæ declinationis & singularis numeri sit. Iuuen. *Quid Romæ faciam? mentiri nescio.*
Terentius. *Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi.*
Hi genitiui, humi, domi, militiæ, belli, propriorum sequuntur

ormam: vt Terent. *Domi belliq; simul uiximus.*
Cicero. *Parua sunt foris arma, nisi est consilium domi.*

Domi, non alios secum patitur genitiuos, quàm meæ, tuæ, suæ, nostræ, vestræ, alienæ: vt *Vescor domi meæ, non alienæ.* Verùm si proprium loci nomen pluralis duntaxat numeri, aut tertiæ declinationis fuerit, in datiuo aut ablatiuo ponitur: vt *Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.* Domi.

Suetonius. *Lentulum, Getulicus Tiburi genitum scribit.*
Liuius. *Neglectum Anxuri præsidium.*
Cicero. *Cum una sola legione fuit Carthagini.*
Horatius. *Romæ Tibur amo uentosius, Tibure Romam.*
Cicero. *Quum tu Narbone mensas hospitum conuo meres.*
Idem. *Commendo tibi domum eius, quæ est Sycione.*

Sic vtimur ruri vel rure in ablatiuo: vt *Ruri ferè se continet.*
Persius. *-rure paterno Est tibi fur modicum.*

AD LOCVM.

Verbis significantibus motum ad locum, apponitur proprium loci in accusatiuo: ut *Concessi Cantabrigiam, ad capiendum ingenij cultum. Eo Londinum, ad merces emendas.*

Ad hunc modum utimur Rus & Domus: vt *Ego rus ibo.*
Vergilius. *Ite domum saturæ uenit Hesperus, ite capellæ.*

A LOCO. PER LOCVM.

Verbis significantib⁹ motũ à loco, aut per locum, adiicitur proprium loci in ablatiuo: vt *Nisi ante Roma profectus esses, nunc eam relinqueres. Eboraco (siue per Eboracum) sum facturus iter.*

Ad eundem modum vsurpantur Domus & Rus vt *Nuper exijt domo.* Terentius. *Timeo ne pater rure redierit.*

IMPERSONALIVM CONstructio. GENITIVVS.

HAec tria impersonalia, interest, refert, & est, iquibuslibet genitiuis annectuntur, præter hos ablatiuos fœmininos, meâ, tuâ, suâ, nostrâ, vestrâ, & cuiâ: vt *Interest magistratus tueri bonos, animaduertere in malos.*

Refert multùm Christianæ reipublicæ, Episcopos doctos & pios esse.

Prudentius

Prudentis est multa dissimulare. Tua refert teipsum nosse.
Cicero. *Ea cædes crimini potissimùm datur ei, cuia interfuit, non ei, cui nihil interfuit.*
Adiiciuntur & illi genitiui, tanti, quanti, magni, parui, quãticunque, tantidem: vt *Magni refert quibuscum uixeris. Tanti refert honesta agere. Vestra parui interest.* Et, *Interest ad laudem meam.*

DATIVVS.

In datiuum feruntur hęc impersonalia: Accidit, certum est, contingit, constat, confert, cõpetit, conducit, conuenit, placet, displicet, dolet, expedit, euenit, liquet, libet, licet, nocet, obest, prodest, præstat, patet, stat, restat, benefit, malefit, satisfit, superest, sufficit, vacat pro ocium est: vt *Conuenit mihi tecum.*
Salustius. *Emori per uirtutem mihi præstat, quàm per dedecus uiuere.*
Non uacat exiguis rebus adesse Ioui.
Terent. *Dolet dictum imprudenti adolescenti & libero.*
A nouerca malefit priuignis. A Deo nobis benefit.
Vergilius. *Stat mihi casus renouare omnes.* id est, *statutum est.*

ACCVSATIVVS.

Hæc Impersonalia, accusandi casum exigunt: Iuuat, decet cum compositis, delectat, oportet: vt *Me iuuat ire per altum. Vxorem ædes curare decet. Dedecet uiros muliebriter rixari.*
Cato. *Patrem familias uendacem, non emacem esse oportet.*

Accusatiuus cum Genitiuo.

His uerò attinet, pertinet, spectat, proprie additur præpositio ad: vt *Meneuis dicere quod ad te attinet? Spectat ad omnes bene uiuere.*
Quintilianus. *Pertinet in utramque partem.*
His impersonalibus subiicitur accusatiuus cum genitiuo: Pœnitet, tædet, miseret, miserescit, pudet, piget: vt
Cicero. *Si ad centesimum uixisset annum, senectutis eum suæ non pœniteret. Tædet animam meam uitæ meæ. Aliorum te miseret. Tui nec miseret, nec pudet. Fratris me quidem pudet, pigétque.*
Nonnulla impersonalia remigrant aliquando in personalia; ut, Vergil. *Non omnes arbusta iuuãt, humilesq; myricæ.*
Ouidius. *Namque decent animos, mollia regna tuos.*
Seneca. *Agricolam arbor ad frugem producta, delectat. Nemo miserorum ecmmiserescit. Te non pudet istud? Non te hæc pudent*

Cœpit,

cepit, incipit, desinit, debet, solet, & potest, impersonalibus iuncta, impersonalium formam induunt, vt

Quintilianus. *Vbi primum cœperat non conuenire, quæstio orieb atur.*

Idem. *Tædere solet auaros impendij. Desinit illum studij tædere.*

Sacerdotem insciliæ pudere debet.

Quintilianus. *Peruenire ad summum, nisi ex principijs non potest.*

Verbum impersonale passiuę uocis, similem cum personalibus passiuis casum obtinet: vt

Cæsar. *Ab hostibus constanter pugnatur.*

Qui quidem casus interdum non exprimitur: vt

Verg. *Strato discumbitur ostro.*

Verbum impersonale passiuę vocis, pro singulis personis, vtriusque numeri in differenter accipi potest: vt

Statur. id est *sto stas, stat. Stamus, statis, stant.* Videlicet ex vi adiuncti obliqui. vt *Statur à me.* id est, *sto. Statur ab illis.* id est *stant.*

PARTICIPII CONSTRUCTIO.

PArticipia regunt casus verborum à quibus deriuantur: vt

Verg. *–duplices tendens ad sidera palmas Talia uoce refert.*

Idem. *Vbera lacte domum referent distenta capellæ. Diligendus ab omnibus.*

Quamuis in his usitatior est datiuus: vt

Terentius. *Restat Chremes, qui mihi exorandus est.*

GENITIVVS.

Participiorum voces, cum fiunt nomina, genitiuum postulãt, ut Salust. *Alieni appetens. Sui profusus. Cupientissimus tui. Inexpertus belli. Indoctus pilæ.* Genitiuus.

ACCVSATIVVS.

Exosus, perosus, pertæsus, actiuè significant, & in accusatiuum feruntur: ut *Immundam segnitiem perosæ.*

Astronomus exosus ad unum mulieres.

Suetonius. *Pertæsus ignauiam suam.*

Accusatiuus.

Exosus, & perosus, etiam cum dandi casu leguntur, videlicet passiuè significantia. ut *Germani Romanis perosi sunt.*

Exosus Deo & sanctis

ABLATIVVS.

Natus, prognatus, satus, cretus, creatus, ortus, æditus, in

Ablatiuus.

Ablatiuum.

ablatiuum feruntur: vt Terent. *Bona bonis prognata parentibus.*
Vergilius. *- fate sanguine diuûm.* Idem. *- quo sanguine cretus.*
Ouidius. *Venus orta mari, mare prestat eunti, Terra æditus.*

ADVERBII CONSTRVCTIO. NOMINATIVVS.

EN & ecce, demonstrandi aduerbia, nominatiuo frequentiùs iunguntur, accusatiuo rariùs.
Vergilius. *En Priamus, sunt hic etiam sua præmia laudi.*
Cicero. *Ecce tibi status noster.* Verg. *- en quatuor aras.*
Ecce duo tibi Daphni, duòque altaria Phœbo.

En & ecce exprobrantis, soli accusatiuo nectuntur. vt *En animum & mentem.* Iuue. *En habitum.* Ter. *Ecce autem alterum.*

GENITIVVS.

Quædam aduerbia loci, temporis, & quantitatis, genitiuum post se recipiunt.

Loci. Loci: ut Vbi, vbinã, nusquam, eò, longe, quo, ubiuis, huccine ut *Vbi gentium? Quo terrarum abijt? Nusquam loci inuenitur. Eo impudentiæ uentum est.*

Temporis. Temporis: ut nunc, tunc, tum, interea, pridie, postridie: ut *Nihil tunc temporis amplius quàm flere poteram. Pridie eius diei pugnam inierunt. Pridie calendarum.* seu *calendas.*

Quantitatis. Quantitatis: ut parùm, satis, abundè. &c. vt *Satis loquentiæ, sapientiæ parum. Abundè fabularum audiuimus.*

Instar. Instar, æquiparationem, mensuram, aut similitudinem significat: ut Verg. *Instar montis equum diuina Palladis arte Aedificant. Mittitur Philippus solus, in quo instar omnium auxiliorum erat. Sed scelus hoc meriti pondus & instar habet.*

Hic apponitur interdum præpositio Ad: vt *Vallus ad instar castrorum clauditur.*

Populus Ro. à parua origine, ad tantæ magnitudinis instar emicuit.

Genitiuus festiuitatis. Terent. *Ah, minime gentium, non faciam.* Hîc genitiuus *gentium*, festiuitatis causa additur.

Datiuus

DATIVVS.

Quædam datiuum admittunt nominum unde deducta sunt: vt, *Venit obuiam illi.* Nam obuius illi dicitur. *Canit similiter huic.* Et, *Sibi inutiliter uiuit. Propinquius tibi sedet, quàm mihi.*

Sunt & hi datiui aduerbiales, Tempori, luci, vesperi, vt *Tempori uenit, quod omnium rerum est primum. Luci occidit hominem. Vidi ad uos afferri uesperi.*

ACCVSATIVVS.

Sunt quæ accusandi casum admittunt prępositionis, vnde sunt profecta: vt *Castra propius urbem mouentur.* Salustius, *Proxime Hispaniam sunt Mauri.*

Cedò, flagitantis exhiberi, accusatiuum regit: vt Terentius. *Cedò quemuis arbitrum.*

ABLATIVVS.

Aduerbia diuersitatis, aliter, secus: & illa duo, ante, post, cũ ablatiuo non rarò inueniuntur: vt *Multo aliter. Paulo secus. Multo ante. Longè secus*, Et. *Longo post tempore uenit. Paulo post.* Nisi & ipsa Aduerbia potiùs censenda sunt.

Aduerbia comparatiui & superlatiui gradus, admittunt casus comparatiuis & superlatiuis assuetos subseruire, sicut ante præceptum est: vt *Accessit propius illo. Optime omnium dixit.* Cicero. *Legimus propius ad deos, & propius à terris.* Liuius. *Paulo plus trecenta uehicula sunt amissa.* Idem. *Hominum eo die cæsa plus duo millia.*

Plus, nominatiuo, genitiuo, accusatiuo & ablatiuo iunctum reperitur: vt Liuius. *Plus quinquaginta hominum ceciderunt. Abierat acies paulo plus quingentos passus.* Terentius. *Dies triginta aut plus eo, in naue fui.*

Quibus verborum modis, quæ congruant aduerbia.

Vbi, postquam & tùm, temporis aduerbia, interdum indicatiuis, interdum uerò subiunctiuis apponuntur: vt Vergilius. *Hæc ubi dicta dedit.* Ter. *Vbi nos laucrimus, si uoles lauato.* Vergilius. *Cum faciam uitula pro frugibus, ipse uenito.* Idem. *Cum canerem reges & prælia, Cythius aurem Vellit.* Nota.

Hic priùs Aduerbium, posteriùs coniunctio esse videtur.

Donec. DONEC, pro Quamdiu, indicatiuo gaudet: vt. Ouidius. *Donec eram sospes.*
Pro quousq; nunc indicatiuum, nunc subiunctiuum exigit: vt
Vergilius. *Cogere donec oues stabulis, numerumq; referre Iussit.*
Colu. *Donec ea aqua, quam adieceris, decocta sit.*
Ouid. *Donec eris fœlix, multos numerabis amicos.*

Dum. DVM, de re præsenti non perfecta, aut pro quamdiu, fatendi modũ poscit: vt Terent. *Dum apparatur uirgo in conclaui.*
Idem. *Ego te meum dici tantisper uolo, dum quod te dignum est facis.*
Dum pro dummodo, aliàs potentiali, aliàs subiunctiuo nectitur: vt *Dum prosim tibi. Dum ne ab hoc me falli comperiam.*
Dum pro Donec, subiunctiuo tantùm: vt
Vergilius. *Tertia dum Latio regnantem uiderit æstas.*

Quoad. QVOAD pro Quamdiu, vel indicatiuis, uel Subiunctiuis: pro donec, subiunctiuis solis adhibetur: vt *Quoàd expectas contubernalem?* Cicero. *Quoàd possem & liceret, ab eius latere nunquam discederem. Omnia integra seruabo, quoad exercitus huc mittatur.*

Simulac. SIMVLAC, simulatq;, indicatiuo & subiunctiuo adhærent: vt *Simulac belli patiens erat.* Verg. *simulatque adoleuerit ætas.*

Quem admodum. QVEMADMODVM, vt, utcunque, sicut, vtrunque modum admittunt. Erasmus. *Vt salutabis, ita & resalutaberis.*
Horatius. *Vt sementem feceris, ita & metes.*
Vt pro postquam, indicatiuo iungitur: vt *Vt uentum est in urbem.*

Quasi &. QVASI, seu, tanquam, perinde, acsi, haud secus, acsi, quum proprium habent uerbum, subiunctiuo apponuntur: vt *Tanquam feceris ipse aliquid.* Terent. *Quasi non norimus nos inter nos.*
Aliàs copulant consimiles casus: vt *Noui hominem tanquam te. Arridet mihi quasi amico.*

Ne. NE, prohibendi, vel imperatiuis vel subiunctiuis præponitur: vt Vergilius. *ne sæui magna sacerdos.*
Terentius. *Hic nebulo magnus est, ne metuas.*
Ne, pro non, cæteris modis inseruit.
Aduerbia, accedente casu, transeunt in præpositiones: vt
Iuuenalis.

Iuuualis. *Cantabit uacuus coram latrone uiator.*

DE CONIVNCTIONVM constructione.

Coniunctiones copulatiuę & disiunctiuę, cum his quatuor, quàm, nisi, prętęrquam, an, similes omnino casus nectunt: vt *Socrates docuit Xenophontem & Platonem. Vtinam calidus esses aut frigidus. Albus an ater homo sit, nescio. Est minor natu quàm tu. Nemini placet, nisi (uel prætequam) sibi.* Excepto si casualis dictionis ratio aliqua priuata repugnet, uel aliud poscat: vt *Emi librum centussi & pluris. Vixi Romæ & Venetijs.*

Horatius, *- in Meti descendant iudicis aures, Et patris & nostras.*

Coniunctiones copulatiuæ, & disiunctiuæ, aliquoties similes modos & tempora conglutinant: vt

Recto stat corpore, despicitq; terras.

Aliquoties autem similes modos, sed diuersa tempora: vt Terentius, *Nisi me lactasses amantem, & uana spe produceres. Tibi gratias egi, & te aliquando collaudare possum.*

Etsi, tametsi, etiamsi, quanquam, in principio orationis indicatiuos modos, in medio subiunctiuos sępiùs postulant. Et, &c.

Quamuis & licet subiunctiuos frequentius: vt

Etsi nihil noui afferebatur. Quanquam animus meminisse horret.

Vergilius, *Quamuis Elysios miretur Græcia campos.*

Ouidius. *Ipse licet uenias musis comitatus Homere,*
Nil tamen attuleris, ibis Homere foras.

Ni, nisi, si, quidem, quod, quia, quàm, postquàm, posteaquàm, vbi pro postquam, nunquam, priusquam, & indicatiuis & subiũctiuis adhęrent: vt *Quod tu redieris incolumis, gaudeo. Castigote, non quod odio habeam, sed quod amem. Aliud honestum iudicas, quam philosophi statuant.* Plin. *Grauius accusas quàm patitur tua consuetudo.* Ni, nisi.

Si, vtriq; modo iungitur. Etsi pro quamuis, subiunctiuo tantùm: vt Terent. *Redeam? non si me obsecet.* Si.

Si quis, tantum indicatiuo: vt *Si quis adest.*

Quando, quandoquidem, quoniam, indicatiuo iungitur: vt Verg. *Dicite quandoquidem in molli consedimus herba.* Quando.

Quoniam mihi non credis, ipse facito periculum.

Quippe. Quippe, cum proprium verbum habet, gaudet indicatiuo: vt
Danda est huic uenia, quippe ægrotat.
Si addideris Qui, vtrunque admittit modum: vt
Non est huic danda uenia, quippe qui iam bis peierauit. siue *peierauerit.*

Qui. Qui, cum habet uim causalem, subiunctiuum postulat: ut
Stultus es, qui huic credas.

Cum. Cum pro quamuis, pro quandoquidem, uel quoniam, subiunctiuis semper adhæret: vt
Cicero. *Nos cum præcipi nihil posse dicamus, tamen aliis de rebus disserere solemus.* Verg. *Cum sis officijs Gradiue uirilibus aptus.*

Cum & tum. Cùm & Tum: item Tum geminatum, similes modos copulant. Est autem in Cum quiddam minus, atq; ideo in priore clausulæ parte statuitur: In Tum quiddam maius, ac proinde in posteriore clausulæ parte collocatur: vt
Amplectitur cum eruditos omnes, tum in primis Marcellum.
Odit tum literas, tum uirtutem.

Ne, an, num Vt. Ne, an, num, interrogandi particulę, indicatiuum amant: ut Vergilius. – *superátne & uescitur aura Aetherea?*
At cum accipiuntur dubitatiuè aut indefinitè, subiunctiuum postulant: vt *Vise num redierit. Nihil refert fecerisne, an persuaseris.*
Vt, causalis seu perfectiua coniūctio, & ut pro Ne non, post verba timoris, nunc potentiali, nunc subiunctiuo iungitur, vt
Terentius. *Filium perduxere illuc secum, ut unà esset meum.*
Idem. *Te oro Dave, ut redeat iam in uiam.*
Idem. *Metuo ut substet hospes.* id est, *ne non substet.*
Vt, concedentis, siue positum pro Quanqam, & ut pro utpote, subiunctiuo seruit: vt
Vt omnia contingant quæ uolo, leuari non possum.
Non est tibi fidendum, ut qui toties fefelleris, ut qui solus relictus fueris.
Vt, pro postquam, pro quemadmodum, vel sicut, & interrogatiuum, indicatiuis nectitur: ut
Cicero. *Vt ab urbe discessi, nullum intermisi diem, quin scriberem.*
Terentius. *Tu tamen has nu tias perge facere, ut facis.*
Idem. *Credo ut est dementia.* Verg. *Vt ualet? Vt meminit nostri?*
Quanquam de hoc, in aduerbij quoque constructione paulò suprà est dictum.

Præpositionum.

structio.

PRępositio subaudita, interdum facit ut addatur ablatiuus: ut *Habeo te loco parentis*, in est *in loco*.
Apparuit illi humana specie, id est *sub humana specie*.
Discessit magistratu, id est *à magistratu*.

Præpositio, in compositione eundem nonnunquam casum regit, quem & extra compositionem regebat: ut
Verg. *Nec posse Italia Teucrorum auertere regem.*
Prætereo te insalutatum.
Idem. *-emoti procumbunt cardine postes.*
Idem. *Detrudunt naues scopulo.*

Verba composita cum a, ab, ad, con, de, e, ex, in, nonnunquam repetunt easdem prępositiones cum suo casu, extra compositionem, idq; eleganter: vt *Abstinuerunt à uiris.* *Verbà composita cum a, ab, &c.*
Ferent. Amicos aduocabo ad hanc rem. Cum legibus conferemus.
Cicero. *Detrahere de tua fama nũquam cogitaui. Cum ex insidijs euaseris.*
Terentius. *Postquam excessit ex Ephebis.*
In rempublicam cogitatione curaq; incumbe.

In pro erga, contra, & ad, accusandi casum habet: ut *In pro erga, &c.*
Vergil. *Accipit in Teucros animum, mentemq; benignam.*
Idem. *Quid meus Aeneas in te committere tantum,*
Quid Troes potuere?
Quo te Meri pedes? aut quo uia ducit? in urbem?

Item In, accusatiuo iungitur, quoties diuisio, mutatio, aut incrementum rei cum tempore significatur: vt
Vergilius. *Estq; locus parteis ubi se uia findit in ambas.*
Ouid. *Versa est in cineres sospite Troia uiro.-amor mihi crescit in horas.*

In, cum significatur actus in loco, ablatiuum postulat: ut
Ouid. *Scilicet ut fuluum spectatur in ignibus aurum.*

Sub pro ad, per, & ante, accusatiuo innititur: vt *Sub.*
Sub umbram poperemus. Liuius. *Legati fere sub id tempus ad res repetendas missi.* id est *Per id tempus.*
Verg. *-sub noctem cura recursat.* id est *Paulò ante noctem.* uel *instante nocte.* Aliàs ablatiuum admittit: ut

Quicquid sub terra est, in apricum proferet ætas.
Verg. -*sub nocte silenti.* id est *in nocte silenti.*

Super. Super pro Vltra, accusatiuo iungitur: vt
Vergil. -*super Garamantas & Indos Proferet imperium.*
Super pro de & in, ablatiuo: vt
Tacitus. *Multus super ea re, uariúsque rumor.*
Vergilius. *Fronde super uiridi.*

Subter. Subter, vno significatu vtriq; casui apud autores iungitur: vt Liuius. *Pugnatum est super, subterq; terras.* Vergil. -*omnes Ferre libet subter densa testudine casus.*

Tenus. Tenus, gaudet ablatiuo & singulari & plurali: vt *Pube tenus. Pectoribus tenus.* At genitiuo tantùm plurali: vt *Crurum tenus.*

Præpositiones migrant in Aduerbia. Præpositiones, cum casum amittunt, migrant in aduerbia: vt Verg. -*longo post tempore uenit.* Idem. *Pone subit coniux, ferimur per opaca locorum.* Idem. -*coram quem quæritis adsum Troius Aeneas.*

INTERIECTIONVM CONstructio.

INterjectiones non rarò absolutè & sine casu ponuntur: vt Vergil. *Spem gregis (ah) silice in nuda connixa reliquit.*
Terentius. *Quæ malùm dementia?*

O. O exclamantis, nominatiuo, accusatiuo, & vocatiuo iungitur: vt *O festus dies hominis.*
Verg. *O fortunatos nimium bona si sua norint Agricolas.*
Idem. *O formose puer, nimium ne crede colori.*

Heu, Pro. Heu & pro, nunc nominatiuo, nunc accusatiuo adhærent: vt *Heu pietas.* Verg. *Heu prisca fides.* Idem. *Heu stirpem inuisam.*
Terent. *Prò Iupiter, tu homo adiges me ad insaniam.*
Idem. *Prô deûm atque hominum fidem. Prô sancte Iupiter,* apud Plaut.

Hei, Veh. Hei & Veh, datiuo apponuntur: vt
Ouid. *Hei mihi, quod nullis amor est medicabilis herbis?*
Terent. *Veh misero mihi, quanta de spe decidi.*

FINIS SYNTAXEOS.

DE FIGVRIS.

FIGVRA, est nouata arte aliqua dicendi forma. Cuius duo tantùm genera, Dictionis scilicit, & Constructionis hoc loco trademus.

FIGVRAE DICTIONIS.

Figuræ dictionis sunt sex. { Prothesis, Aphæresis, Epénthesis, } { Syncope, Paragoge, Apocope. }

Próthesis, est appositio literæ vel syllabę ad principium dictionis: vt *Gnatus* pro *natus*. *Tutuli* pro *tuli*. *Prothesis.*

Aphæresis, est ablatio literę vel syllabę à principio dictionis: vt *Ruit* pro *eruit*. *Temnere* pro *contemnere*. *Aphæresis*

Epénthesis, est interpositio literę vel syllabę in medio dictionis: vt *Relliquias*, *relligio*, addita, *l*. *Induperatorem*, pro *Imperatorem*. *Epenthesis*

Syncope, est ablatio literæ uel syllabæ è medio dictionis: ut *Abiit*, *petiit*, *dixti*, *repestum*. *&c*. *Syncope.*

Paragoge, est appositio literæ uel syllabę ad finem dictionis: ut *Dicier* pro *dici*. *Paragoge.*

Apocope, est ablatio literæ uel syllabæ à fine dictionis: ut *Peculi*, pro *Peculij*. *Dixtin*, pro *dixtine*. *Ingeni*, pro *Ingenij*. *Apocope.*

FIGVRAE CONSTRVCTIONIS.

Figuræ constructionis sunt octo: Appositio, Euocatio, Sylepsis, Prolepsis, Zeugma, Syntheſis, Antiptôsis, Synecdoche.

APPOSITIO.

APpositio, est duorum substantiuorũ eiusdem casus, quorum altero declaratur alterum, continuata siue immediata coniunctio: vt *Flumen Rhenus*. Potest autem Appositio plurium substantiuorum esse: vt *Marcus Tullius Cicero*. *Appositio quid sit.*

Interdum apud autores in diuersis casibus ponuntur substãtiua, perinde quasi ad diuersa pertinerent. vt *Vrbs Patauij*, apud Vergilium. *Vrbs Antiochiæ*, apud Ciceronem.

In Appositione, substantiua non semper eiusdem generis aut numeri inueniuntur. Nam quoties alterum substantiuorũ

caret numero singulari, aut est nomen collectiuũ, diuersorum numerorum esse possunt: vt *Vrbs Athenæ.*
Ouid. *In me turba ruunt, luxuriosa proci.*
Vergilius. *Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.*

Triplici nomine fit Appositio.

Restringendæ generalitatis gratia: vt *Vrbs Roma, Animal equus.*
Tollendę æquiuocationis causa: vt *Taurus mons Asiæ. Lupus piscis.*
Et ad proprietatem attribuendam: vt *Erasmus uir exactissimo iudicio. Nireus adolescens insigni forma. Timotheus homo incredibili fortuna.*

EVOCATIO.

CVm prima vel secunda persona, immediatè ad se euocat tertiam, ambæ fiunt primæ vel secundæ personæ: vt *Ego pauper laboro. Tu dives ludis.* Est ergo Euocatio immediata tertiæ personæ ad primam vel secundam reductio.

Obseruandum verò est, verbum semper conuenire cum persona euocante: vt *Ego pauper laboro. Tu dives ludis.*

Nam in euocatione quatuor sunt: Persona Euocans, quæ semper est prima vel secunda: Euocata, quæ semper est tertia: Verbum, quod semper est primę vel secundę personę: & Absentia coniunctionis.

Euocatio uaria.

In Euocatione, persona vocans & euocata, aliquando sunt diuersorum numerorum: vtpote vel cum persona euocata caret numero singulari, vt *Ego tuæ delitiæ istuc ueniam*: aut cum est nomẽ collectiuum: vt *Magna pars studiosorum amœnitates quærimus* hic subauditur *nos*. Aut denique cum est nomen distributiuum: vt *In magnis læsi rebus, uterque sumus.* subintelligitur *nos.*

Duplex enim est Euocatio, Explicita, vbi tam persona euocans quàm euocata exprimitur: & Implicita, ubi persona euocans subintelligitur: vt *Sum pius Aeneas.* subintelligitur *Ego. Populus superamur ab uno.* subauditur *nos.*

SYLLEPSIS.

SYllepsis, seu conceptio, est compræhensio indignioris sub digniore, ἀπὸ σὺν con, & λήβω sumo.

Duplex autem est conceptio: Personarum scilicet, quoties persona concipitur cum persona: & Generum, quoties genus indignius

indignius, cum genere dignidre concipitur. Cuius declarandę rei gratia, hæc quæ sequuntur obseruabis.

Copulatum per cõiunctionem Et, nec, neq; & Cum pro Et acceptum, est pluralis numeri: ac proinde Verbum aut adiectiuum aut relatiuum exigit plurale. Quod quidem verbum aut adiectiuum aut relatiuũ, genere & persona cum digniore supposito ac substantiuo quadrabit: vt

Quin tu & soror facitis? Ego & mater miseri, perimus.
Tu & uxor qui adfuistis, testes estote.

Conceptio Personarum.

Dignior enim est persona prima quàm secunda aut tertia: & dignior secunda quàm tertia: vt *Ego & pater sumus in tuto.* *Tu atque frater estis in periculo. Neque ego neque tu sapimus.* Vergilius. *Iphitus & Pelias mecum diuellimur inde.* Idem. *– Rhemus cum fratre Quirino Iura dabant.* Dignior persona.

Cùm, tamen singulare verbum magis amat: vt *Tu quid ego & populus mecum desideret, audi.* Cum.

Conceptio Generum.

Dignius etiam est masculinum genus quàm fœmininum aut neutrum: & dignius fœmininum quàm neutrum: vt *Rex & Regina beati. Chalybs & aurum sunt in fornace probati.* *Hinc peruim, leges & plebiscita coactæ.* Dignius genus.

At cum substantiua res inanimatas significant, adiectiuum aut relatiuum vsitatius in neutro genere ponitur: vt Vergilius. *–cum Daphnidis arcum Fregisti, & calamos, quæ tu peruerse Menalca, Et cũ uidisti puero donata, dolebas.* Salust. *Ira & ægritudo permista sunt.* Idem. *Huic bella ciuilia, cædes & discordia ciuilis, grata fuerunt, Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

Porrò conceptio alias Directa est, nempe cum cocipiens, i. dignius, & conceptum, id est indignius, copulantur per Et vel atque, vel que: alias indirecta, cum copulantur per Cum: vt *Ego cum fratre sumus cãdidi.* Vbi vtraque conceptio est indirecta.

Est etiam quædam conceptio generum implicita, nempe quando nec genꝰ concipiens, nec genꝰ conceptum explicãtur,

ſed de mare atque fœmina perinde loquimur, ac de ſolo mare: vt ſi dicam, Vterque eſt formoſ⁹; loquens de ſponſo & ſponſa. Sic Ouid. *Implicitis laqueis nudas vterque facet.* loquens de Marte & Venere, reti implicitis à Vulcano.

PROLEPSIS.

PRolepſis ſeu præſumptio, eſt pronuntiatio quædam rerum ſummaria. Fit autem quum congregatio ſiue totum, cū verbo vel adiectiuo apte cohęret: deide partes toti⁹ ad idem verbum vel adiectiuum reducuntur, cum quo tamen ferè non concordant: vt *Duæ aquilæ uolauerunt: hæc ab oriente, illa ab occidente.* Hic congregatio ſeu totum, *Duæ aquilæ*, cum verbo *uolauerunt*, per omnia concordant: cum quo partes, *hæc* & *illa*, ad idem verbum relatæ, in numero non concordant.

Congregatio ſiue totum, eſt dictio pluralis numeri: vt *Duæ aquilæ*, aut plurali æquiualens: vt *Corydon & Thyrſis.*

Nam copulatum æquiuolet plurali: vt

Compulerantq; greges, Coridon & Thyrſis in unum:
Thyrſis oues, Coridon diſtentas lacte capellas.

Aut congregatio eſt nomen collectiuum: ut

Populus uiuit, alij in penuria, alij in delitiis.

Sulpitius & Aldus quinque dicunt in prolepſi eſſe neceſſaria: Congregationem, vt in priore exemplo, *Duæ aquilæ*: Verbū, ut *uolauerunt*: Partes, vt *hæc & illa*: Partium determinationem: vt *Ab oriente & occidente*: & ordinem, videlicet quòd totum præcedat, partes ſequantur.

Duplex autem eſt prolepſis. Explicita, vbi omnia exprimuntur quæ in prolepſi eſſe oportet: ut *Equi concurrunt, hic à dextera, ille à ſiniſtra Hippodromi.* & Implicita, in qua aliquid tacetur: vt

Alter in alterius iactantes lumina uultus,
Quærebant taciti, noſter ubi eſſet amor.

Deeſt altera partium cū determinatione, uidelicet, *& alter in alterius.* Et *Alter alterius onera portate.* Vbi deeſt, *nos*: & altera pars cum determinaione, videlicet, *Et alter alterius.*

Ter. *Curemus æquam uterq; partem.* Hic totum *nos* ſubintelligitur: & partes, *alter & alter*, includuntur in diſtributiuo *uterque.*

Diomedes Prolepſim dicit eſſe, quoties id quod poſterius geſtum

gestum est, ante describimus. vt Verg. -*Lauinaq; uenit Littora.* Lauinium enim nondum erat, quum Aeneas veniret in Italiã. Dicitur verò prolepsis à πρό quod est ante, & λαμβάνω sumo.

ZEVGMA.

ZEugma, est unius verbi uel adiectiui viciniori respondentis, ad diuersa suppositarum reductio: ad vnum quidem expressè, ad alterum verò per supplementum: vt *Nihil te nocturnum præsidium palatij, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habẽdi senatus locus, nihil horum ora vultusq; mouerunt.* Hic *Mouerunt*, expressè reducitur ad *ora vultusq;*: at ad cætera per supplementum. Subintelligendum est enim, præsidium mouit, Vigiliæ mouerũt, Timor populi mouit, Bonorum concursus mouit, Habẽdi senatus locus mouit: Attamen quando est comparatio vel similitudo, verbum uel adiectiuum conuenit cum remotiore: vt *Ego melius quàm tu scribo. Ego sicut fœnum arui. Hoc ille ita prudenter atque ego feciſſet.* Item per nisi: ut Terentius. *Talem filium nulla nisi tu pareret.* Licet poëtæ interdum aliter loqui soleant: vt

Quid nisi secretæ læserunt Phyllida syluæ.

De quibus in concordantia uerbi & nominatiui suprà est dictum: ut Cicero. *Quare ut arbitror, prius hic te nos, quam istic tu nos uidebis.*

Tribus modis fit Zeugma. In persona: vt *Ego & tu studes.* In genere: ut *Maritus & uxor est irata.* In numero: vt *-hic illius arma, Hic currus fuit.*

Ponitur aliquando uerbum uel adiectiuum in principio, & tum uocatur Protozeugma: ut *Dormio ego & tu.* Quandoq; in medio, vocaturq; Mesozeugma: vt *Ego dormio & tu.* Quandoq; in fine, & uocatur Hypozeugma: ut *Ego & tu dormis.*

Requiruntur autem in zeugmate quatuor. Duo substãtiua, ut *Rex & regina.* Cõiunctio, quæ uel copulatiua uel disiunctiua uel etiã expletiua esse potest, ut Et, uel, &c. uerbũ uel adiectiuum, ut *irata est.* & quod uerbum uel adiectiuum uiciniori suppositio respondeat. Fit etiam quoddam zeugmatis genus per

aduerbia

aduerbiat ut *Cubat ubi ego. Cœnat quando nos.*

Quando verbum ad duo ſuppoſita reducitur, & cum utroque conuenit, eſt zeugma, ut dicunt. Locutionis, non conſtructionis: vt *Ioannes fuit piſcator & Petrus.*

Dicitur autem zeugma, quaſi copulatum à græco verbo ζευγνύω, vel ζευγνύμι, quod eſt copulo.

SYNTHESIS.

SYntheſis, eſt oratio congrua ſenſu, non voce: vt Vergilius. *Pars in fruſta ſecant. Gens armati.*

Fit autem Syntheſis nunc in genere tantùm, idq; aut ſexus diſcernendi cauſa: vt *Anſer fœta. Elephantus grauida.* Aut ſupplementi gratia: vt *Præneſte ſub ipſa*, ſubauditur *urbe. Centauro in magna*, ſubintelligitur *naui.*

Nunc in numero tantùm: vt *Turba ruunt. Aperite aliquis oſtium.*

Nunc verò in genere & numero ſimul: vt *Pars merſi, tenuere ratẽ.* Vergilius. *Hæc manus ob patriam pugnando uulnera paſſi.*

Dicitur autem Syntheſis, à σὺν, quod eſt con, & θέσις poſitio, quia eſt cõpoſitio, id eſt conſtructio, facta gratia ſignificationis.

ANTIPTOSIS.

ANtiptôſis, ab ἀντὶ quod eſt pro, & πτῶσις caſus, eſt poſitio caſus pro caſu, idq; interdum non inuenuſtè: ut Vergil. *Vrbem quam ſtatuo ueſtra eſt.* Terent. *Populo ut placerent, quas feciſſet fabulas. Sermonem quem audiſtis, non eſt meus. Eius non uenit in mentem*, pro *id.*

Quanquam hîc *uenit*, impersonaliter potius uſurpari exiſtimãdum eſt. *Ariſtotelis libri ſunt omne genus elegantia referti.* pro omnis generis. Sic *id genus, quod genus, &c. Idne eſtis mihi autores?* pro *eius.*

Interdum autem fit durior antiptôſis: ut *Salue primus omnium pater patriæ appellate*, pro *prime. Habet duos gladios, quibus altero te occiſurum minatur, altero uillicum.*

SYNECDOCHE.

SYnecdoche, eſt cum id quod partis eſt, attribuitur toti: vt *Aethiops albus dentes.* Hic album, quod ſolis dentib⁹ conuenit, toti attribuitur Aethiopi.

Per

Per Synecdochen omnia nomina adiectiua, aliquam proprietatem significãtia, item verba passiua & neutralia, significantia aliquam passionem, possunt regere accusatiuum aut ablatiuum, significantem locum in quo est proprietas aut passio: vt *Aeger pedes. uel pedibus. Saucius frontem.* uel *fronte. Doleo caput.* uel *capite. Redimitus tempora lauro. Truncatus membra bipenni. Effusas laniata comas, contusáque pectus.* Nam illæ græcę phrases sunt, *Excepto quod non simul esses. Cætera lætus. Cætera similis, uno differunt.*

Dicitur autem Synecdoche, à σὺν quod est con, & ἐκδέχομαι suscipio, videlicet quod totum cum sua parte capiatur.

Si cui lubet figuratę constructionis elegantias, pernoscere, legat Thomam Linacrum de eclipsi, pleonasmo, & Enallage, deq; alijs figuris, erudite, dilucidè, ac copiosè differentem.

DE PROSODIA.

PROSODIA, est quæ rectam vocum pronuntiationem tradit. Latine accentus dicitur.

Diuiditur autem Prosodia in { Tonum, Spiritum, Tempus.

Tonus. Tonus, est lex uel nota, qua syllaba in dictione eleuatur, uel deprimitur.

Est autem tonus triplex, { Acutus, Grauis, Circumflexus.

Tonus acutus, est uirgula obliqua, ascendens in dexterã, sic, /.

Grauis, est virgula obliqua, descendens in dexteram, ad hũc modum, \.

Circumflexus, est quiddam ex utrisq; conflatum, hac figura ^.

Huc addatur etiam Apostrophus, qui est quædam circuli pars in summo literę appositа, quam sic pinges, '.

Hac nota ultimam dictionis vocalem deesse ostenditur: vt *Tanton' me crimine dignam dixisti?* pro *tantóne.*

Spiritus. Spiritus duo sunt, Asper, & Leuis.

Asper, quo aspirata profertur syllaba, ut *Homo, Honor.*

Leuis, quo citra aspirationem syllaba profertur, vt *Amo, Onus.*

Tonorum

TONORVM REGVLAE. I.

Monosyllaba. MOnosyllaba dictio breuis, aut positione longa, acuitur: vt *Mél, fel, pars, pax.* Natura longa, circumflectitur: vt *Spês, flôs, sôl, thûs, rûs.*

REGVLA II.

Dissyllab. In dissyllaba dictione, si prior longa fuerit natura, posterior breuis, prior circumflectitur: vt *Lûna, Mûsa.* In cæteris acuitur: ut *Sítus, Látus, sólers.*

REGVLA III.

Dictio polysyllaba, si penultimam habet longam, acuit eandem: vt *Libértas, penates.* Sin breuem habet penultimam, acuit antepenultimam: vt *Dóminus, póntifex.*

Excipiuntur composita à facio: vt *Benefácis, malefácis, calefácit, frigefácit*, quæ penultimam acuunt.

At si penultima longa fuerit natura, & vltima breuis, circumflectitur penultima: vt *Românus, amâtor.*

Composita à fis, fit, vltimam acuunt: ut *Madefîs, calefit, benefit, satisfit.*

APPENDIX,

Quia hodie propter hominum imperitiam circumflexus ab acuto vix prolatione discernitur, grammatici circumflexum cum acuto confuderunt.

REGVLA IIII.

Quinque sunt quæ tonorum regulas perturbant.

DIFFERENTIA.

Quæ tonos peturbant. Differentia, tonum transponit: vt Vná aduerbium, ultimã acuit, ne uideatur esse nomen. Sic eó, alió, aliquó, continuó, seduló, porró, forté, quá, siquá, aliquá, nequá, illó, falsó, citó, ferè, planè, & id genus alia: putá pro sicut, poné pro post, corám, circúm, aliàs, palám, ergo coniũctio, sed ergô pro causa, circumflectitur. ut Vergilius. *-illius ergô Venimus.* Hæc igitur omnia sicut græca acutisona, in fine quidem sententiarum acuuntur, in consequentia uerò grauantur.

Sic differentiæ causa antepenultima suspenditur in his: déinde, próinde, périnde, aliquando, siquando, néquando, húcusque, á longe, délonge, déinceps, dúntaxat, déorsum, quápropter, quinimo, enimuero, propémodum, ádmodum, áffabre, intereá loci, nihilóminus, paulóminus, cum non sunt orationes

tiones diuersæ, vti sunt pube, tenus, crurum, tenus: non enim composita sunt, velut hactenꝰ, quatenꝰ, & eius generis reliqua.

TRANSPOSITIO.

Transpositio, tonum inuertit, id quod vsu venit in præpositionibus, quæ postpositæ grauantur: vt

Transtra per & remos. Te penes imperium.

ATTRACTIO.

Attractio tonū mutat, cum post vocabulū aliquod sequitur coniunctio inclinatiua: vt que, ne, ue: Attrahunt enim hę particulæ accentum syllabe præcedenti, eámque accuunt: vt *Luminá que laurúsque Dei*. Sic dum, sis, nam, parelca.

Vbi autem est manifesta compositio, non variatur tonus: vt Dénique, utique, itaque, undique, hiccine, & huiusmodi.

Vbique, tamèn temporis sui tonum seruat, & vbiuis.

CONCISIO.

Concisio transfert tonum, cum dictiones per syncopen aut apocopen castrantur. Tunc enim tonū retinent íntegrę dictionis: vt Vergili, Valeri, Mercuri: pro Vergilij, Valerij, Mercurij

Sic quædā nomina & pronomina syncopata, circumflectunt vltimam: vt Arpinâs, Rauennâs, nostras, uestrâs, cuiâs: ab Arpinatis, Rauennatis, nostratis, &c.

Sic Donec, à donecum. Sic hûc, illûc, istuc, adhuc, &c. pro hucce, illucce. &c. Et composita à dic, duc, fact ut benedic, reduc, calefac.

IDIOMA.

IDIOMA, hoc est linguæ proprietas, tonum variat, adeò ut si dictiones græcæ integrè ad nos ueniant, seruent tonū suum: ut Simóis, periphas penultimam acuunt, at facta latina, ante penultimam eleuant, quia corripiunt penultimam.

Quæ autem prorsus latina fiunt, Latinum quoque tonum seruant: ut Geórgica, Bucólica, antepenultima acuta, licet apud Græcos in ultima tonum habeant.

Sic & comœdia, tragœdia, sóphia, symphónia, tonū recipiunt in antepenultima, licet in sua lingua habeāt in penultima.

Porrò

Porrò si ignoretur proprius peregrinæ uocis tonus, tutissimum fuerit iuxta Latinum accentum illam enunciare.

Syllabæ communes, in prosa oratione, semper corripiuntur vt Célebris, Cáthedra, Mediocris.

FINIS PROSODIAE.

DE CARMINVM RATIONE.

HACTENVS de Tonis & Spiritibus, deinceps de syllabarum tempore & carminisratione pauca adiiciemus.

Tempus, est syllabæ pronunciandæ mensura.

Syllaba breuis, vnius est temporis, Longa verò duorum.

Tempus breue sic notatur. ∪, *uel sic*, V.

Longum autem sic, – *uel sic* Λ: vt, – ∪, Terra.

Ex syllabis iusto ordine dispositis, fiunt pedes.

Est autem Pes duarum syllabarum pluriúmue constitutio, ex certa temporum obseruatione,

Pes. Pedum alij dyssyllabi, alij trissyllabi.

De tetrasyllabis autem non multũ attinet ad hoc nostrum institutũ differere

Dissyllabi sunt, Spondeus, Pyrrichius, Trochæus, Iambus, vt, – – Virtus. ∪ ∪ Deus. – ∪ Panis. ∪ – Amans.

Trissyllabi octo, Molossus, Tribrachus, Dactylus, Anapæstus, Bacchius, Antibacchius, Amphimacer, Amphibrachus, vt, – – – Magnates. ∪ ∪ ∪ Dominus. – ∪ ∪ Scribere. ∪ ∪ – Pietas. ∪ – – Honestas. – – ∪ Audire. – ∪ – Charitas. ∪ – ∪ Venire.

Porro

REGVLA SECVNDA.

Vocalis ante alteram in græcis dictionibus, ſubinde longa fit: vt Dicite Piërides, Reſpice laërten. Et in poſſeſſiuis: vt, Aenea nutrix, Rhodopëius Orphēa. 2

REGVLA TERTIA.

Omnis dipthongus apud Latinos longa eſt: vt Aurum, neuter, muſæ, niſi ſequente vocali: vt Præire. 3

ERIVATIO. REGVLA IIII.

tiua, eandem cum primitiuis quantitatem ſortiũtur: Dipbthong-
, amicus, amabilis, prima breui ab ămo. Excipiun- gus.
pauca, quę à breuibus deducta, primam producunt 4

Cuius generis ſunt

cis, à vŏco. — Iucūndus, à iŭuo.
is, à lego. — Iunior, à iuuenis.
gis, à rego. — Mobilis, à moueo.
ſedile, à ſedeo. — Humanus, ab homo.
um, à iuuo. — Vomer, à vomo.
& fomentum, à foueo. — Pedor, à pede.

(contrà, quæ à longis deducta, corripiuntur: qualia

ux dŭcis, à dūco.
icax, maledicus, & id — ărena, ariſta, } ab āreo.
genus multa, à dico. — Poſui, à pono.
des, à fio. — Genui, à gigno.

} à frāngo. — Nato, as, à natu.
à notu, — Diſertus, à diſſero.
Sopor, à ſopio.

onnulla ex vtroque genere, quæ relinquunt ur ſtu-
legendum obſeruanda.

COMPOSITIO. Regula quinta.

ſita, ſimplicium quantitatem ſequuntur: 5

vt, { otens, Impotens, } { Sôlor, Conſôlor. } { Lego, is, perlego, } { lego, as, Allēgo.

Excipiuntur tamen hęc breuia, à longis enata: nempe,

Innuba. Pronuba. } a nūbo. { Deiero, Peiero. } a iuro.

PRAEPOSITIO. Regula ſexta.

Ex prępoſitionibus hę vbique, producuntur: A, de, præ,

Porrò si ignoretur proprius peregrinæ uocis tonus, tutissimum fuerit iuxta Latinum accentum illam enunciare.

Syllabæ communes, in prosa oratione, semper corripiuntur vt Célebris, Cáthedra, Mediocris.

FINIS PROSODIAE.

DE CARMINVM RATIONE.

ACTENVS de Tonis & Spiritibus deinceps de syllabarum tempore & carminisratione pauca adiũciemus.

Tempus, est syllabæ pronunciandæ mensura.

Syllaba breuis, vnius est temporis. Longa verò duorum.

Tempus breue sic notatur. ∪, *uel sic*, V. Longum autem sic, - *uel sic* Λ: vt, - ∪, Terra.

Ex syllabis iusto ordine dispositis, fiunt pedes.

Est autem Pes duarum syllabarum pluriúmue constitutus ex certa temporum obseruatione,

Pes. Pedum alij dyssyllabi, alij trissyllabi.

De tetrasyllabis autem non multũ attinet ad hoc nostrum institutũ differere

Dissyllabi sunt,	Spondeus,	vt,	-- Virtus.
	Pyrrichius,		∪ ∪ Deus.
	Trochæus,		- ∪ Panis.
	Iambus,		∪ - Amans
Trissyllabi octo	Molossus,	vt,	--- Mag
	Tribrachus,		∪ ∪ ∪ Don
	Dactylus,		- ∪ ∪ Scribere.
	Anapæstus,		∪ ∪ - Pietas.
	Bacchius,		∪ - - Honestas.
	Antibacchius,		- - ∪ Audire.
	Amphimacer,		- ∪ - Charitas.
	Amphibrachus,		∪ - ∪ Venire.

Porro

REGVLA SECVNDA.

Vocalis ante alteram in græcis dictionibus, ſubinde longa fit: vt Dicite Piërides, Reſpice laërten, Et in poſſeſſiuis: vt, Aenea nutrix, Rhodopëius Orphëa. 2

REGVLA TERTIA.

Omnis dipthongus apud Latinos longa eſt: vt Aurum, neuter, muſæ, niſi ſequente vocali: vt Præire. 3

DERIVATIO. REGVLA IIII.

Deriuatiua, eandem cum primitiuis quantitatem ſortiũtur: vt ămator, amicus, amabilis, prima breui ab ămo. Excipiuntur tamen pauca, quę à breuibus deducta, primam producunt 4 *Dipbthongus.*

Cuius generis ſunt

- Vox vōcis, à vŏco.
- Lex legis, à lego.
- Rex regis, à rego.
- Sedes & ſedile, à ſedeo.
- Iumentum, à iuuo.
- Fomes & fomentum, à foueo.
- Iucūndus, à ĭŭuo.
- Iunior, à iuuenis.
- Mobilis, à moueo.
- Humanus, ab homo.
- Vomer, à vomo.
- Pedor, à pede.

Sunt & contrà, quæ à longis deducta, corripiuntur: qualia ſunt,

- Dux dŭcis, à dūco.
- Dicax, maledicus, & id genus multa, à dico.
- Fides, à fio.
- ărena, ariſta, } ab āreo.
- Poſui, à pono.
- Genui, à gigno.

- Frăgor, Fragilis, } à frāngo.
- Noto, as à notu,
- Nato, as, à natu.
- Diſertus, à diſſero.
- Sopor, à ſopio.

Et alia nonnulla ex vtroque genere, quæ relinquuntur ſtudioſis inter legendum obſeruanda.

COMPOSITIO. Regula quinta.

Compoſita, ſimplicium quantitatem ſequuntur: 5

vt, Potens, Impotens, } Sôlor, Conſôlor. } Lego, is, perlego, } lego, as, Allēgo.

Excipiuntur tamen hęc breuia, à longis enata: nempe,

Innuba. Pronuba. } a nūbo. Deiero, Peiero. } a iuro.

PRAEPOSITIO. Regula ſexta.

Ex prępoſitionibus hę vbique, producuntur: A, de, præ,

se, e, nisi vocali sequente: vt Vnda dĕhiscens, Sudibusue præ ustis. apud Vergilium.

Pro, quoque longa est, præterquam in istis: Prŏcella, profugus, proteruus, pronepos, propago pro stirpe, profanus, pro fiteor, profundus, proficiscor, profari, propero, profugio, profecto.

Procuro, profundo, propello, propulso, propago, as, primam syllabam habent ancipitem.

Prŏpheta & propino, græca sunt per o paruum, & proinde primam breuem habent.

Di, etiam producitur, nisi in { Dirimo & Disertus.

Reliquæ præpositiones, si positio sinat, corripiuntur. Cuiusmodi sunt, Ad, ob, ab, sub, re, in, &c.

REGVLA. Canon I.

Omne præteritum dissyllabum, priorem habet longam: vt Lēgi, ēmi. Excipias tamen Fidi à findo, bibi, dedi, scidi, steti, tuli.

Canon II.

Primam præteriti geminantia, primam itidem breuem habent: vt { Pĕpendi, Tetendi, Totondi, Momordi, } { Pepedi, Tutudi, Fefelli, Tetigi, } { Pupugi, Didici. Cecidi à Cado. Cecidi, à cædo. }

Quin & supinum dissyllabum, priorem quoquæ producit, vt { Mōtum, Latum, Lotum, Cretum. } Excipe { Quitum, Situm, Litum, Itum, } { Rutum, Ratum, Datum, Satum. }

Et citum à cieo, es: nam citum à cieo, cis, quartæ, priorem habet longam.

EXEMPLVM, seu autoritas.

Quæ primam habeant communem.

Quarum verò syllabarum quantitas sub pędictas rationes non cadit, à poetarum vsu, exemplo atq; autoritate petēda est, certissima omnium regula. Discant ergo pueri obseruare ex poëtis cōmunes primarū syllabarū quātitates, cuius sortis sūt Britannus, bithynus, cacus, cosyra, crathys, pachynus, palatiū

pelion,

pelion, criticus, curetes, Diana, fidenæ, gradiuus, hinulus, pyrene, rubigo, rutilius, hymen, Italus, liquor, liquidus, lycas, orion, rudo, Sychæus, sycanius. & similia.

DE MEDIIS SYLLABIS.

MEdiæ syllabæ, partim eadem ratione qua primę, partim etiam ex incrementis genitiui, atq; coniugationis analogia cognosci possunt.

De incrementis genitiui nominum polysyllabarum, supra in generibus nominum abunde dictum arbitramur, vnde petere licebit, si quid de hac re hæsitaueris. Cætera frequens lectio, & optimorum poëtarum obseruatio facile suppeditabunt.

Coniugationum analogia.

Coniugationis analogiam ex imbibitis Rudimentis pueri didicerunt, nempe A, indicem primæ coniugationis, longam esse natura, præterquam in do, & eius compositis, quando huius sunt coniugationis:

vt { Damus, Circundamus, } { Dabis, Circundabis, } { Dare, Circundare.

Pręterea syllabas rimus & ritis, in pręterito perfecto modi subiunctiui, vbique pro breuibus habendas animaduertant, in futuro autem in oratione prosa, longas esse debere, in carmine verò indifferentes reperiri, quemadmodum contendit Aldus: vt Pręterito, Amauerimus, amaueritis: Futuro. Amauerimus, Amaueritis.

Est & vbi mediæ syllabę variant apud poetas, vt in his quæ subiunximus: Connūbium, connubium, Ficedula, Malea, Pharsalia, Bathauus, Sidonius. & similia.

Adiectiua in inus Latina, penultimam producunt: vt Clandestinus, mediastinus, parietinus, matutinus, vespertiuus, repentinus.

Præter hęc sequetia { Diutinus, Crastinus, Pristinus, Perendinus, Hornotinus, } { Serótinus, Oleaginus, Faginus. Cedrinus, Carbasinus. }

Et reliqua materialia siue à metallorum nominib⁹ formata in *ipus*, qualia sunt permulta à gręcis vocibus deducta in *ivos*:

vt *Cryſtallinus*, myrrhinus, hyacinthinus, adamantinus, &c.

Cętera fœlicius docebit vſus, & poëtarum obſeruatio, quàm vllæ grammaticorum regulæ: quas ſine vllo aut modo aut fine de mediarum ſyllabarum quantitate tradere ſolent.

Quare illis prętermiſſis, ad ultimarum ſyllabarum quantitates aperiendas iam accingamur.

DE VLTIMIS SYLLABIS.

QVanquam vltimæ ſyllabæ ipſum literarum numerum aut æquant aut etiam ſuperant, non tamen pigebit illas etiam ordine percurrere.

Primùm, A, finita producuntur: vt Amã, contra, erga. Excipias Puta, ita, quia.

Item nominatiuos, accuſatiuos & vocatiuos in A, cuiuſcunq; fuerint generis, numeri, aut declinationis, præter vocatiuos in A, à græcis in As: vt *ô Aeneâ*, *ô Thoma*.

Numeralia in ginta, A finalem habent communem, ſed frequentius longam: vt *Triginta*, *Quadraginta*.

B, D, T. In b, d, t, deſinentia, breuia ſunt: vt ab, ad, caput.

E. E, finita, breuia ſunt: vt Mare, pene, lege, ſcribe.

Excipiendę ſunt omnes voces quintæ inflexionis in E: vt Diē, fide, vnà cum aduerbijs inde enatis: vt Hodiē, quotidie, pridie, poſtridie, quare, quadere, eare, & ſi qua ſunt ſimilia.

Et ſecundæ item perſonæ ſingulares imperatiuorum actiuorum ſecundæ coniugationis: ut Docē, moue, mane, caue.

In E monoſyllaba. Producuntur etiam monoſyllaba in E:

vt { Me, Te, Se, } præter { Que, Ne, Ve, } coniunctiones encliticas.

Quin & aduerbia quoque in E, ab adiectiuis deducta, E longum habent: vt Pulchrè, docte, Valde pro valide. Quibus accedunt, Ferme, fere. Bene tamen & male, corripiuntur.

Poſtremò, quæ à græcis per *n* ſcribuntur, natura producuntur, cuiuſcunque fuerint caſus, generis, aut numeri: vt Lethe, Anchiſe, cete, tempe.

I. I, finita longa ſunt: ut Dominī, magiſtri, amari, doceri.

Præter Mihi, tibi, ſibi, vbi, ibi, quæ communia ſunt.

Niſi

Nisi verò & quasi, corripiuntur. Cuius etiam sortis sunt dativi & vocativi græcorum, quorum genitiuus singularis in Os breue exit: vt Huic { Palladi, Phyllidi, Minoidi, } voc. ò { Amarilli. Alexi. Daphni.

L, finita corripiuntur: vt Animal, Annibal, mel, pugil, sol, consul. L.

Prçter nil contractum à nihil. Et barbara quædam in El: vt Michaēl, Gabriel, Raphael, Daniel.

N, finita producuntur: vt Pæan, Hymen, quin, Xenophon, non, dæmon. N.

Excipe Forsan, forsitan, an, tamen, attamen, veruntamen.

Corripitur & In, cum compositis: vt Exin, subin, dein, proin. In.

Accedunt his & voces illæ quæ per apocopen castrantur: vt Men' Viden' Audin' Nemon'

Nomina item in en, quorum genitiuus in inis correptum habent: vt Carmen, crimen, pecten, tibicen, inis. EN.

Græca etiam in On, per o paruum, cuiuscunque fuerint casus: vt Nominatiuo Ilion, pelion. Accusatiuo caucason, pylon. ON.

Quædam etiam in In: vt Alexin. In Yn, ut Ityn. IN. YN.

In An quoque à nominatiuis in A: vt An.

Nominatiuo { Iphigenia, Aegina, } Accusatiuo { Iphigenian. Aeginan.

Nam in An, à nominatiuis in As, producuntur: vt

Nominatiuo { Aeneas, Marsyas, } Accusatiuo { Aeneān, Marsyan.

O finita communia sunt: ut Amo, uirgo, porrò, docendo, legendo, eundo, & aliæ gerundij uoces in Do. O finita.

Prçter obliquos in O, qui semper producuntur: ut Huic Dominō, seruo. Ab hoc Templo, Damno.

Et Aduerbia à nominib⁹ deriuata: ut Tantō, quanto, liquido, falso, primo, manifesto. &c.

Præter sedulò, mutuò, crebrò, sero, quæ sunt commnnia.

Çterum Modò & Quomodò, semper corripiuntur.

Cito quoque, ut & ambo, duo, atque homo, uix leguntur producta.

Monosyllaba tamen in o, producuntur: ut Dō, eo: vt & Ergo pro causa.

Item græca per ω cuiuscunque fuerint casus: vt Hęc Sapphô, Dido. Huius Androgeo, Apollo. Hunc Atho, Apollo.

R. R, finita corripiuntur: vt Cæsar, torcular, per, vir, vxor, turtur.

Cor semel apud Ouidium productum legitur: vt

-∪∪ -∪∪ -- -∪∪ -∪∪ --

Molle meum leuibus cor est violabile telis.

Producuntur etiam Far, lar, nar, ver, fur, cur.

Par quoque cum compositis: vt Compar, impar, dispar.

Gręca quędam in Er, quę illis in κηρ desinunt: ut Aer, crater, stater, character, æther, soter.

Præter Pater & mater, quę apud latinos vltimam breuem habent.

S. S, finita, pares cum numero vocalium habent terminationes nempe As, es, is, os, us.

As. Primò, As finita producuntur: vt Amās, musas, maiestas, bonitas.

Præter Græca, quorum genitiuus singularis in dos exit: vt { Archas, / Pallas, } Genitiuo { Archados. / Pallados.

Et præter accusatiuos plurales nominum crescentium: vt Heros, Heroos. Phyllis, Phyllidos. Accusatiuo Plurali, Herŏās, Phyllidas.

ES. Es finita longa sunt: vt Anchisēs, sedes, doces, patres.

Excipiuntur nomina in es, tertiæ inflexionis, quæ penultimam genitiui crescentis corrripiunt: ut

Miles, seges, aries, abies, paries, diues, prępes, ceres: Sed pes cum compositis: Bipes, tripes, quadrupes, longum est.

Es quoque à sum, vnà cum compositis corripitur: ut Potĕs, ades, prodes, obes.

Quibus penes adiungi potest, vnà cum neutris, ac nominatiuis pluralibus gręcorum: ut Hyppomanes, cacoëthes, cyclopes, Naiades.

IS. Is finita, breuia sunt: ut Parĭs, panis, tristis, hilaris.

Excipe

Excipe obliquos plurales in Is, qui producuntur: vt Musis, mensis à mensa, dominis, templis.

Idem quis pro quibus, cum producentibus penultimam genitiui crescentis:

ut { Samnis, Salamis, } genitiuo { Samnitis. Salaminis.

Adde huc quę in Eis dipthongum desinunt, siue Græca siue latina, cuiuscunque fuerint numeri aut casus: ut Symoeis, pyroeis, parteis, omneis.

Et monosyllaba item omnia: ut Vis, lis: præter Is & quis nominatiuos: & Bis apud Ouidium.

Istis accedunt secundę personæ singulares uerborum in Is, quorum secundæ personæ plurales desinunt in itis, penultima producta, vnà cum futuris subiunctiui in Ris: vt Audis, velis, dederis. pluraliter, Auditis, velitis, dederitis.

Os finita producuntur: vt Honos, nepos, dominos, seruos. os.

Pręter compos, impos, & os, ossis. Et græca per O peruum: vt Delos, chaos, pallados, phyllidos.

Vs finita corripiuntur: vt Famulus, regius, tempꝰ, amamus. vs.

Excipiuntur producentia penultimam genitiui cresentis:

vt { Salus, Tellus, } Genitiuo { Salûtis. Telluris.

Longę sunt etiam omnes voces quartæ inflectionis in us, præter nominatiuum & vocatiuum singulares: vt Huius manūs, hę manus, has manus, ò manus.

His accedunt etiam monosyllaba: vt Crus, thus, mus, sus. &c.

Et Gręca item per *ous* diphthongum, cuiuscunq; fuerint casus: vt Hic panthus, Malampus: huius Sapphus, Clius.

Atque pius cunctis uenerandum nomen Iĕsus.

Postremò, u finita, producuntur omnia: vt Manū, genu, amatu, diu.

FINIS GRAMMATICES.

MAGISTER DISCIPVLOS AD studia literarum cohortans.

VOs ad se pueri primis inuitat ab annis,
Atque sua CHRISTVS uoce uenire iubet.
Præmiaq; ostendit uobis uenientibus ampla:
Sic uos, ô pueri, curat, amatq; Deus.
Vos igitur læti properate, occurrite Christo,
Prima sit hæc Christum noscere cura Deum.
Sed tamen ut Dominum possis cognoscere Christum,
Ingenuas artes discito parue puer.
Hoc illi gratum officium est, hoc gaudet honore,
Infantum fieri notior ore cupit.
Quare nobiscum studium ad commune uenite,
Ad Christum monstrat, nam schola nostra uiam.

Puer ante lectionem.

AEterno soboles amata Patri,
Quem uox æthere missa, mãdat unũ
Audiriq; coliq; Christe: qui nos
Ad te uoce iubes uenire blanda,
Affirmans pueros Deo placere:
Da sanctum mihi Spiritum, magistro
Vt monstrante uiam ingredi, Redẽptor
Ad te qua liceat uenire possim.
Da cum moribus, artibusq; honestis,
Sacri dogmata puriora uerbi
Addiscam: sapientiáque & annis
Vt crescens, tibi plurimos, & ipse
Olim adducere, qua facit beatos:
Doctrinamq; alios docere possim.
Hæc est summa mei, caput q; uotis
Quod ratum iubeas ut esse, per te
Ipsũ Christe rogo, tuumq; nomẽ
Aeterno soboles amata Patri.

Puer orans ante Cibum.

CONditor & rector magni pater optime mundi,
Huc ades, & donis auxiliare tuis.
Nate Deo, nostræ reparator Christe salutis,
Vt cibus, ut positus fac bene potus alat.
Et tu sancte comes, dux solatorque piorum
Spiritus, huic mensæ mitis adesse uelis.
Corpora sic rectè pascentur nostra, nihilq;
Languida sic poterit lædere membra mali.

Post Cibum.

CORpora qui solito satiasti nostra cibatu,

To the Reader.

I Exhort euery man to the learninge of Grammar, that intendeth to attayne to the vnderstanding of the tōgues (wherein is cōtained a great treasurye of wyledome and knowledge) it shoulde seeme muche vaine and litle needefull: for so much as it is knowen, ẏ nothing can surely be ended, whose beginning is eyther feeble or faultie: no buildinge be perfecte, when as the foundacion and groundewoorke is readye to fall, and vnable to vpholde the burthen of the frame. Wherefore it were better for the thing it selfe, and more profitable to ẏ learner, to vnderstāde how he may beste come to ẏ which he ought moste necessarily to haue, and to learne the gaineste waye of obtayninge that whiche muste be his beste and certayneste guide, bothe of reading and speakinge, then to fall in doubte of ẏ goodnesse and necessity thereof. Whiche I doubt whether hee shall more lament that he lacketh, or esteeme that he hath it: and whether he shall oftener stumble in trifles and be deceiued in light matters when he hathe it not, or iudge truelye and faithfully of dyuers waighty thynges when he hathe it. The which hath seemed to many verye harde to compasse aforetyme, bycause that they, who professed this arte of teachinge Grammer, did teache diuers Grammars and not one: and if by chaunce they taught one Grammar, yet they did it diuerslye, and so could not do it all beste, for so much as there is but one bestnes, not onely in euery thing, but also in the manner of euery thing.

¶ As for the diuersitie of Grammars, it is well & profitably taken away by the Kinges Maiesties wisedome, who foreseing the incōuenience, and fauourably prouiding the remedy, caused one kinde of Grammar by sundry learned men to be diligently drawen, & so to be set out, onely euery where to be taught for the vse of learners, and for the hurte in chaungynge of Schoolemaisters.

¶ The varietie of teachyng is dyuers yet, and alwayes will be,

that euerye Scholemaister lyketh that he knoweth, and seeth not the vse of that he knoweth not, and therfore iudgeth that the most sufficient way, whiche he seeth to be the readiest meane and perfectest kynde to bring a learner to haue a through knowledge therin.

¶ Wherfore it is not amisse, yf one seynge by triall an easier and readier way, than the common sorte of teachers doth, would saye what he hathe proued, and for the commoditie allowed, that other not knowinge the same, might by experience proue the like, & then by proofe reasonable iudge the lyke, not hereby excludinge the better way when it is found, but in ỹ mean season forbidding ỹ worse.

¶ The first and chiefest point is, that the diligent Maister make not the Scholler haste to much, but that he in continuance and diligence of teaching make him rehearse so, that while he hath perfectly that ỹ is behinde, he suffer him not to go forward. For this posting haste ouerthroweth and hurteth a great sorte of wittes, & casteth them into an amasednes, when they knowe not howe they shall either go forward or backwarde, but sticketh fast as one plũged, that can not tell what to do, or which waies to turne him: and then the Maister thinketh the Scholler to be a dullard, & the Scholler thinketh the thing to be vneasy and to harde for his wit: and the one hath an yl opiniõ in the other, when oftentime it is in neither, but in the kind of teaching. Wherefore, the best and chiefest point throughly to be kept, is, that the Scholler haue in mind so perfectly that ỹ he hath learned, & vnderstand it so, that not only it be not a stoppe for him, but also a light and a helpe to the residue that followeth. This shalbe the Maisters ease & the childes encouraging, when the one shall see his labour take good effect, & thereby in teachyng the lesse tourmented: and the other shall thinke the thing easier, and so with more gladnes, ready to go about the same.

¶ In going forward, let them haue of euery declination of noumes and coniugation of verbs, so many seuerall examples, as they passe them, that it may seeme to the Scholemaster no worde in the Latine tongue to be so hard for that parte, that the Scholler shall not be able praisably to enter into the tourming therof. And surely ỹ multitude of exaũples, if the easiest and communest be taken first, & so come to ỹ straunger and harder, must needes bring this profit withal, that the scholler shall best vnderstand, and soonest conceaue

BIBLIOTHECA BODLEIANA

the reason of the rules, and best be acquainted with the fashion of the tongue. Wherein it ys profitable, not only that he can orderly decline his noune & his verbe, but euery waye, forward, bakward: by cases, by persons: that neither case of noune, ne person of verbe can be required, that he can not without stop or studie tel. And vnto this tyme, I counte not the scholler perfect, nor ready to go any further, tyll he hath this already learned.

¶ This when he can perfectly do, and hath learned euery part, not by rote but by reason, & is cunninger in the vnderstandinge of the thinge, than in rehearsinge of the wordes, (whiche is not past a quarter of a yeares diligence, or verye little more, to a painefull and diligent man, if the scholler haue a mean wit) then let him passe to the Concords, to know the agreement of parts amonge themselues, with like waye and diligence, as is afore described.

¶ Wherein plaine and sundry exaumples, and continual rehersal of things learned, and specially the dayly declininge of a verb, and turninge him into all fashions, shall make the great and heauy labour so easy, and so pleasante for the framing of sentences, that it will be rather a delite vnto them that they be able to do wel, then paine in searchinge of an vnused and vnacquainted thing.

¶ When these Concords be wel knowē vnto them, an easy & pleasaūt paine, if the foregrounds be well and throughly beaten in, let them not continue in learning of their rules orderly all as they lye in their Syntaxe, but rather learne some preaty boke, wherin is cōtained not only the eloquence of the tongue, but also a good plaine lesson of honesty and godlines, and therof take some little sentence as it lieth, and learne to make the same firste out of English into Latine, not seeynge the booke, or construing it therupon. And if there fall any necessarie rule of the Syntaxe to be known, then to learn it, as the occasion of the sentence geueth cause that day. Whiche sentence once made well, and as nigh as can be with ẏ words of the booke, then to take ẏ booke & construe it, & so shalbe be lesse troubled wō the parsing of it, & eslyest carry his lesson in minde.

¶ And although it was saide before, that the scholler shoulde learn but a little at once, it is not ment, that when the Master hath heard them a while, he should let them alone (for ẏ wer more negligence for bothe the parts) but I woulde all their time they be at schole, they should neuer be ydle, but alwaies occupied in a continual re-

